

August Varenius Reinhold Derschau von

**Assertio Orthodoxiae Posterior. Contra Calvinianos in Articulis De I. Persona Christi. II. Baptismo. III. Coeno Domini. Una cum controversiis circa Articulos fidei indirecte oppugnatos, &**

Rostochii: Kilius, 1653

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn74000073X>

Druck Freier  Zugang





R. u. Meol 1653

Varennius, August/d  
Verf.: Dershow, Reinhold







ASSERTIO ORTHODOXIÆ POSTERIOR.

*Contra*

Calvinianos in Articulis

DE

I.

PERSONA CHRISTI.

II.

BAPTISMO.

III.

COENA DOMINI.

Unà cum controversiis circa Articulos fidei indirectè oppugnatos, & de  
ADIAPHORIS.

*Qyam ידן*

*in inclytâ ad Varnum Academia, Aud. Maj.*

*Consensu Venerand. Collegii Theologici.*

PRÆSIDE

AUGUSTO VARENIO, SS. Th. D.

& Prof. Publ.

*Publicæ disquisitioni Academicæ submittes d. 31. Aug.*

REINHOLDUS DERSCHOW,

Nob. Boruff.

---

ROSTOCHII,

Typis NICOLAI KILLII, Acad. Typogr.

Anno M. DC. LIII.



LIBRARY OF THE  
UNIVERSITY OF  
TORONTO  
130 St. George Street  
Toronto, Ontario  
M5S 1A5  
Canada

UNIVERSITÄTS  
BIBLIOTHEK  
ROSTOCK





## ARTICULUS V.

DE

# PERSONA JESU CHRISTI.

*Conclus. 1.*



Nio duarum naturarum in CHRIS-  
STO hypostatica, non sine verissi-  
mâ, realissimâ & profundissimâ  
naturarum Divinæ τὸ λόγῳ, & hu-  
manæ immeatione, ac communi-  
catione, ipsorumq; Idiomatum, quæ in tempo-  
re citra contradictionem & repugnantiam ter-  
miniâ qvo incarnationis, & temporis communi-  
cari potuerunt, realissimâ participatione, par-  
tîm reciprocâ partîm irreciprocâ, salvâ tamen,  
& integrâ cujusq; differentiâ specificâ, absq; ullâ  
Eutychianâ mixtione, sive essentiali transfusio-  
ne, inconfusè, inseparabilè, & æqvè indisso-  
lubilitèr facta est: ita ut humanitas post assu-  
mptionem tam sit propria Filio Dei personalitèr:  
quàm Deitas naturaliter.

43

ANTI



ANTITHESIS,

Errant e. Calviniani realem naturarum & Idiomaticam communicationem negantes, & Unionem personalem respectu termini ad quem per sustentationem seu gestationem humanæ naturæ à divinâ, ne redigeretur in nihilum, describentes Wendelin<sup>o</sup> l. i. Christ. Theol. c. 18. p. 250. Zanchius tom. 6. p. 240. &c. tom. 8. de Filii Dei incarnatione l. 2. à p. 167. &c. conf. Dan. cont. Chemnit. p. 84. Pier. disp. de pers. Christi A. 91. Witeb. hab. Sadeel de ver. nat. hum. p. 173. 175. Acta colloq. Mompelg. de pers. Christ. p. 204. ad ref. 6. 7. 8. 9. & 213. p. 230. 235. 236. 237. Concord. discors Hospiniani p. 16. §. 4. ubi & citatur Philip. Tom. 2. op. p. 322.

EXEGESIS.

§. I.

**Δ** Ψ Ν **לכח** nunc accedimus: sed **בסנה** s. in rubo: Divinitas enim ignis consumens Deut. 4. 24. Heb. ii. v. ult. humana natura lignum, & ita **Θεάνθρωπος** est **τὸ ξύλον τῆς ζωῆς** Ap. 2. 7. neq; illa hanc tollit: sed extollit non interficit: sed perficit. Et uti Mosche, objecto **τῷ φανταζόμενῳ**: *Accedam, inquit, & videbo hoc spectaculum maximum*: ita & hic dicere licebit illud **אשרה כנה** Exod. 3. sed non amplius quàm admittit revelatio. Sed & uti Mosche accessurus audit sibi acclamari illud **של נעלים** Exod. 3. 5. ita & nos reverentiæ memores in nomine JESU CHRISTI *genua flectimus, caput aperimus, exclamantes: כיהוה צדקות וען* Es. 45. 22. 23.

§. 2. Non ægrè ferent Calviniani nos ad nomen JESU singularem reveren-



reuerentiam, quam scriptura expresse Hominiibus, Angelis, & Dæmonibus præscribit, Phil. 2. 20. quam recordatio directè significati hoc nomine officii & beneficii ineffabilis (cujus objectum nos, miseri antea, sumus) saluatio sc. Matt. 1. 21. Act. 4. 12. sibi deposcit, genuflexionis vel ἀγκυκαλύπτου κεφαλῆς ritu contestari, qui ἀκμπτῆ & superbum cum sincipite poplitem Independentibus non inuidemus. Cæterum de hoc minori quæsito nunc non agemus, nec de illo, quod Humanam naturam propriè adjunctum τῷ λόγῳ vocat Goclenius p. 1. p. 40. Log. quod animam Christi à nihilo creatam: non ab animâ Mariæ traductam, scribit Zanch. l. 2. de incarn. c. 3. quæst. 5. p. 133. Martin. l. 2. d. Christ. tr. 1. c. 12. p. 622.

§. 3. Nobilis quæstio est: An caro Christi in momento facta sit? Nos quod essentialem membrorum effigiationem (nam de accidentali effigiatorum accretione successivâ consentimus) attinet, momentaneam, & in instanti miraculosè Spiritus S. superventionis, post annunciationem Gabrielis, factam formationem & adeo Mariæ factum secundum verbum Angeli, ita ut virtute divinâ in utero habuerit θεάνθρωπον admittimus: successivam rejicimus, quia 1. Verbum Caro factum est: quia 2. agens fuit hyperphysicum, idq; agens irresistibiliter & adeo in instanti, juxta illud: πνεῦμα ἅγιον ἐπιλεύσεται ἐπὶ σε καὶ δύναμις ὑψίστου ἐπισκιάσει σοί. Luc. 1. 35.

§. 4. Licet ergo hoc nomine excusare possimus Keckerm. l. 2. Syst. Theol. c. 3. p. 314. qui, Christum etiam in hoc similem nobis reddi oportuisse scribit, ut non in momento formaretur & nasceretur, cui homogenea habet Tilem. Synr. Disput. Theol. part. 2. Disp. 3. cum sententiâ tamen jam dictâ facimus, de quâ ulterius videatur Damasc. l. 3. de orthod. fid. c. 2. Thom. p. 3. quæst. 33. §. 1. Zanch. l. 2. de incarn. c. 3. qu. 7. 8. Polan. l. 6. Syst. c. 14. Martin. l. 2. de Chr. incarn. c. 12. p. 622. Sohn. T. 2. Martyr. in Dial. de utr. Chr. nat. & ex nostris Luth. Tom. 3. Germ. lenens. f. 300. Tübingens. in Exam. conf. Palat. p. 383. in continuat. exam. p. 53. Chemn. in harm. l. 1. c. 5. & 8. Menz. in Antimart. & ex Pontificiis Bell. l. 3. c. 6. de Eucharist. Illustis equidem controversia est: an missio & incarnatio redemptoris sit effectus adæquatus & executivus prædestinationis: an verò decretum mittendi Redemptoris in signo rationis divinæ antecesserit decretum prædestinationis ubi ex Gen. 3. 8. 15. 22. c. 6. 3. Rom. 8. 32. 1. Tim. 1. 15. 16. c. 2. 4. 5. 6. affirmamus poster. conf. Sectio 2. Art. 2. 3.



§. 5. Ad *Thema propositum* nos conferimus. Ex controversiis de S. Cœnâ in has controversias, in quibus verè est  $\beta\alpha\theta\theta$  Theologiæ, vicio Adversariorum itum esse jam supra diximus: idq; impudentes *Danai & Zanchii* testantur voces: *Christum universâ suâ virtute, atq; omnipotentiâ efficere non posse, ut corpus ipsius in pluribus, adeoq; omnibus locis verè & realitèr adsit, in quibus Cœna Domini in toto terrarum orbe celebratur: quod si admittatur, frustra ex verbis Testamenti eâ de re disputaretur.* Conf. refutatio  $\psi\epsilon\upsilon\delta\omega\nu\acute{o}\mu\omicron\upsilon$  consensus orthodoxi fol. 3. Coll. Momp. de pers. Christi p. 216.

§. 6. Rectè observatum à Theologis Wûrtemberg. in Colloq. Mompelg. p. 218. fuit: non esse controversiam 1. de *dualitate naturarum*. 2. de *inconsusâ eternitate essentialium proprietatum*. 3. de *immutabilitate naturarum*. 4. de *unitate personæ*. 5. de *inseparabilitate naturarum*: quibus adde 6. nec controversi de *aliquali idiomatum communicatione*, qualem concedunt in hâc: *Dominus gloriæ est crucifixus & similib.* 1. gen. com. Idiom. sed ita ut communicationem confundant cum prædicationis modo verbali: conf. Combachius p. 77. c. 7. l. de commun. Idiomat. Bez. in præf. ad act. coll. Mompal. p. 17. 18. quod tamen non magis, quàm vel *Samosatenum* vel *Nestorium* illos interpretari conf. Acta coll. Momp. p. 213. resp. 1. addatur 7. nec controversi de *donatione innumerabilium & Angelicam naturam excedentium, donorum humanitati collatorum*: nec 8. de *actionum* quas *θεαυδεια*, dicimus, ad personam, secundum utramq; naturam attributione.

§. 7. At de vero *Unionis sensu, & communicationis modo* controversia est. Nostra sententia hæc est: *assumptionem naturæ humanæ in personam τοῦ λόγου factam ad constitutionem unius personæ compositæ ἀδιασά-  
τως, ἀδιαίρετως, ἀχωρίτως, esse formam & differentiam specificam unionis (à termino ad quem dictæ) hypostaticæ, ut proinde nusquam sit divina natura, ubi non sit caro.* Placet forma illa & definitio unionis recentioribus Calvinianis, illamq; utraq; manu arripere videri volunt: & petunt *communicationem idiomatum* tanquam materiam litis, abstrahi ab illâ differentiâ specificâ, utrinq; concessâ, & in definitione unionis hypostaticæ non exprimi, cum definitio sit *hypothesis, & principium demonstrationis*. Impudens sanè postulatum & tùm Theologicis: tùm Aristotelicis rationibus, ad quas hic provocat *Combach. c. 8. de comm.*

Id. p.



Id. p. 67. *contrarium: conf. Aristot. l. 1. Anal. post. c. 7. §. 8. & c. 8. §. 9. 10. n. c. 2. §. 13.*

§. 8. Scilicet negant *realem naturarum* inter se *communicationem*, per quam *verè & realitèr actu* i. naturæ de se invicem prædicentur in concreto reciprocè, ut juxta illos, Homo est Deus, resolutio fit Persona, quæ homo est, Deus est, vel: Deus est Deus, identicè: negant, *participationem totius suppositi ab alterutrage naturæ nominati de alterutrage naturæ proprietatibus, veram esse & realem respectu naturæ*, & adeo planè cum Nestorio, (etsi hic faltem humanas actiones vel passionès Divinitati communes negaverit) resolvunt: *Dominus gloria est crucifixus* i. e. *sola cato Domini gloria est crucifixa*: negant *irreciprocã illam participationem*, quæ natura humana, uti hypostasin: ita quoq; filii Dei majestatem (nam de *formalitèr habitualitèr & subjectivè* humanitati secundum se in hærentibus nulla quæstio est) per unionem personalem accepit, quam in *statu exinanitionis* per voluntarium obicem detinuit; in *statu exaltationis* plenissimè exeruit conf. Luc. 1 32 Col. 2. 9. Phil. 2 6. 7. 9. Eph. 1. 20. c. 4. 9. 10: conf. Comb. c. 12. p. 115. & Coll. Mompelg. p. 205. ubi expressè Beza: Singulæ naturæ in unione hypostaticâ manent distinctæ **CITRA ULLAM ALIAM COMMUNICATIONEM**: additur statim: *Humanitatem J. Christi, ne quidem verbalitèr esse omnipotentem: sed id planè falsum, uti falsum, humanitatem evasisse Deitatem.*

§. 9. Negant *participationem totius suppositi de concursu operationum utriusq; naturæ* in officio redemptionis, & exercitio actionum tam immanentium, quàm emanantium, ita ut simul sit *ἑνωσις ἐνεργειῶν*: sed tantum ponunt *ἑνωσιαν* suppositi concursus & *ἀποτιλες μέρτων*. Conf. Combach. c. 10. p. 109. Chem. l. de duab. nat. in Christo c. 12. Magd. cent. 5. p. 606. & 906. & Selnec. p. 2. f. 391. Socr. hist. Eccl. l. 7. c. 32. 33. Colloq. Mompelg. p. 109. p. 231. 233. 234. 235. 236. quod ibidem Calvinianos, Nestorianos esse solide probat, fremente licet *orthodoxo ψευδωνύμως consensu* p. 7. Bezà coll. momp. p. 230. pro quò Syncretismo hoc faltem ponimus dianoema: *Quicumq; negat veram & realem & naturarum & idiomatum communicationem, ita ut verè & realitèr & propriè sicut verba sonant, Maria fuerit θεοτόκος, Deus passus, mortuus, Homo ille, Omnipotens, Dominus gloria crucifixus &c. is est Nestorianus.* & negat Unionem hypostaticam conf. consentientem Bezam coll. Momp.



Momp. p. 234. At Calvinianos id facere docebunt expressa hæc illo-  
rum asserta: *Hanc enuntiationem, quâ Deus dicitur passus, sic interpreta-*  
*mur, Deus id est: Caro Deitati unita est passa* Act. coll. Momp. p. 213.  
conf. infra §. 18. in quo ipso colloquio Beza: Res, inquit, *aded manifesta*  
*est, ut nullâ probatione indigeat, quia potentia Dei est infinita, humana au-*  
*tem natura est finita, ideoq̄* NON POTEST *infinitæ potentia esse capax:*  
& acceptum à Beza: *proprietatis naturarum erga se invicem, ne quidem*  
*verbalem & grammaticam communicationem esse* p. 236 Act. Col. Momp. p.  
267. unde quod Christus dicit se vidisse Nathanaelem sub ficu, ante-  
quam vocatus esset à Philippo Joh. 1. 48. Beza resolvit: Ego vidi te i. e.  
*Divinitas mea vidit te* ὄντων ὑπὸ τῆν σκῆν. p. 237. Act. Coll. Momp. &  
forfitan apodixeos vim sensit Beza, quando Jacobo-Andræe syncreti-  
tismum cum Alcorano objicienti respondit: *Ferre possumus, quod nobis*  
*Nestorianismus objicitur: sed Machometismum audire non possumus* p. 268.  
Excipit quidem *Anatom. Univers. Mass. p. 153.* Die Reformierten sind mit  
nichten weder die grössesten / noch die kleinsten Nestorianer: & provocat  
ad suæ partis scripta, Sadeelem, Lampadium &c. Sed hi jam à nostris  
solidè latis refutati, & convicti sunt.

§. 10. Patet ex dictis controversiam huc redire: An unio hyposta-  
tica duarum naturarum talis sit, in quâ inter se invicem & naturæ &  
naturarum proprietates nõ verbalitèr saltem: sed verè & realissimè com-  
municent? Nos affirmamus, & proinde *naturarum inter se & proprietatum*  
*realem communicationem esse in personâ Christi h. e. in concreto* (neq̄  
enim in abstracto Etymologico s. extra unionem consideratis naturis &  
proprietatibus, concipienda est hæc communicatio) concludimus. Ne-  
gant Calviniani, & exinde, uti & ex alterâ hypothesi quâ λόγον extra  
carnem esse docent, superioris erroris, quem *de modo subsistendi humanæ*  
*nature in hypostasi τοῦ λόγου quæsit* occultare non possunt, & Nestoria-  
nismi rei aguntur.

§. 11. Rejicimus ab hæc *Unione* modos Unionis *Metaphysicos*, quales  
sunt vel *universalium cum singularibus*, vel *accidentium cum substantiis*,  
vel *partium inter sese*, vel *partium cum toto*: nec admittimus reliquos  
*Unionis* modos *Theologicos*: licet enim *persona*, sive terminus ad quem  
Unionis sit *substantia*, non tamen est nisi cum relatione & determina-  
tione eminentissimâ & personæ mediæ realiter discretivâ: ut ita

sub



*substantia* (sumimus hinc *substantiæ* vocabulum non pro ὑπόστασις  
 quomodo Hilar. tres in Deo substantias, & ipse Vulgatus Heb. c. 1.  
*Characterem hypostaseos, Characterem substantiæ*, expressit: sed ex com-  
 muni Latinorum usu pro οὐσία, s. naturâ) non sit terminus ultimo  
 terminans unita: & præterea gemina est: non una in Christo natura  
*divina* sc. & *humana*, ut male Bellarminus l. 3. de incarn. c. 8. Beza vol. 1.  
 p. 623. illam vocet *unionem substantialem*: quod enim Damascenus l. 3.  
 de ort. fid. c. 3. illam vocat *essentialem*, æquivocatio saltem termini est:  
*essentialem* sc. vocat, in oppositione *apparentis, putativi*, ut ita talis es-  
 sentialis, idem sit quod *personalis, hypostatica*: quomodo & apud Philo-  
 sophos *hypostasis* emphasi, vel *emphaticis*, in Meteorologiâ opponitur.

§. 12. Breviter: Unio hæc non est *naturalis*, non *coessentialis*, non  
*essentialis*, non *accidentalis*, non *respectiva*: non *secundum habitudinem &*  
*dignitatem*: sed *PERSONALIS*, ut terminus ad quem sit *Persona*, in quâ  
 unicâ, sub duplici *subsistendi ratione* subsistunt divina & humana natura,  
 unâ & eadem *subsistentiâ* vel *hypostasi* verbi, humanæ naturæ per se  
 ἀνουπέστω, communicatâ. Licet autem differentiam specificam  
*unionis* hujus, suppositâ *Unitione* s. *assumptione* humanitatis, ponamus  
 in 1. *arctissimâ naturarum præsentia*, quâ totus λόγος toti carni, & tota  
 caro toti λόγῳ est unita, ut ita præsens sit λόγος carni, & caro τῷ λόγῳ,  
 ut nec λόγος sit extra carnem, nec caro extra λόγον: sed ubi λόγος  
 sit, ibi præsentissima sit caro, & ubi caro, ibi λόγον sibi habeat præsen-  
 tissimum conf. Sohnius Art. 3. de perf. & offic. Christi p. 207. 2.  
*in profundissimâ naturarum immeatione*, per quam, caro assumpta, totam  
 illam penetrante, & ad instar lucis in solem, sese in illam quasi colligente  
 λόγῳ actu purissimo, facta est λογωθεΐσι, & λόγος ἐνοσημωθεΐσι  
 ita, ut contrectato hoc homine, contrectetur Deus 1. Joh. 1. 1. crucifixo  
 Christo, verè & realitèr crucifigatur Deus, vel gloria Dominus, 1. Cor. 2. 8.  
 3. *in mutuâ, & æternum durabili unius ὑφιστάμενου constitutione*, ut per-  
 sona τῷ λόγῳ post factam incarnationem sit quasi σύνθετον, &  
 compositâ, duabus constans naturis: dubium tamen nullum est, quin  
 communicatio idiomatum, tam immediatum sit *unionis* hujus & ex  
 hypothesi talis unionis, tam necessarium effectum, ut qui hanc realissi-  
 mam esse negat, realem quoque naturarum communicationem, & ipsam  
 B  
 adeq



adeo unionem personalem solvat, nec aliud relinquat, quam sustentationem s. gestationem humane nature à divinâ ne redigatur in nihilum, uti jam dudum explicuerunt Pezelius, Gravius in suo contra Hunn. lib. p. 56. & Witteb. Calvin. in defensione sui Catechismi, quæ sustentatio actio est omnibus personis Trinitatis, & objectivè omnibus creaturis communis Act. 17. 28. Heb. 1. 3. Pf. 104. 29. & specialiori gradu beatificatis 1. Thef. 4. 17. imò & excellenti fatis, gradu, *Credentibus* in hac vitâ Joh. 14. 23. qui Uniuntur toti SS. Trinitati: at infinitis modis excellentior est unio hypostatica, & magis *ὁμολογουμένως μέγα τῆς εὐσεβείας μυστήριον* 1. Tim. 3. unde & utramq; conjungere solent S. literæ c. c. Joh. 1. 14. ubi *Unio personalis* hæc divinissimâ Triade verborum exprimitur: VERBUM CARO FACTUM, & *communicatio* illa statim sequentibus: Vidimus GLORIAM ejus, GLORIAM quasi UNIGENITI à Patre: item: *plenum gratiâ & veritate* conf. c. 3. 34. Col. 2. 3. 9.

§. 13. Meminimus supra, ad unionem s. communionem naturarum hypostaticam, requiri arctissimam naturarum præsentiam. Negant hanc Calviniani, dum *λόγον* ita habitare in carne, ut totus sit extra eam, asserunt, idq; absurdissimis similibus de *gemma in annulo, Antverpiâ adherente Oceano, Sole in orbe &c.* declarare volunt, quâ de re vid. integrum scriptû Pezelii & Gravius contra B. Hunnium, Admon. Neost. p. 27. & 79. Dænæus contra Chem. p. 85. & seqq. Sadeel. de 2. nat. p. 174. Orth. confens. p. 10. Martyr. in Dialog. contra Brentium, Beza in Act. coll. Mompelg p. 318. 319. qui: *nostri*, inquit, *usi sunt commemoratis similitudinibus ut significarent humanitatem, cum sit circumscripta, non tam latè patere, quàm divinitatem: unde non sequitur quod divinitas extra eam nihil agat &c. Ego dico Hominem Christum implere omnia: sed non humanitatem: Ineptissime omnia & Sophisticè: Homo Christus, idem illis quod: Deitas Christi unita humanitati, implet omnia* conf. sup. §. 9. & falsum est, quod dicitur: *Divinitatem extra carnem assumptam quidquam agere, quin Omnia CUM EA, IN EA, & PER EAM agere divinitatem* dudum orthodoxi Patres sunt testati.

§. 14. Magnum sanè *εὐσεβείας* mysterium est, quod natura humana finita, in infinitâ subsistat hypostasi, & adeo Deus manifestatus sit in carne 1. Tim. 3. ult. *Actu sc. naturali*, & ex sese considerata humanitas Jesu Christi, eadem specie est cum humanitate nostrâ: at præter hunc  
pecu-



peculiarem habet actum personalem, quo sola humanitas Jesu Christi subsistit in personâ τοῦ λόγου, & hoc actu personali, ab instanti unionis nupiam est λόγος, quin ibidem sit assumpta caro: quia *Tota persona λόγου est incarnata*, & adeo non sola subsistentia: sed etiam natura λόγου: totus λόγος caro factus est: non tantum subsistentia: sed etiam *omnis plenitudo Deitatis in Christo habitat personaliter* Col. 2. 9. non *subsistentia divina abstracta*: sed *Deus in carne est manifestatus* 1. Tim. 3. 16. ut frustra hic inter *subsistentiam & essentiam τοῦ λόγου* distinguant, & priori saltem ratione: non posteriori totum λόγον incarnatum esse, ineptissime dicant Sohn. Art. 3. in A. conf p. 207. Dan. in Exam. Chemnit c. 4. p. 82. Polan. Synt. l. 6. c. 18. *Cum dicitur duas naturas divinam & humanam in Christo esse personaliter unitas, figurata est locutio. Nam non proprie natura: sed persona seu subsistentia verbi aeterni existens in formâ Dei assumpsit, sibiq; univit naturam humanam* Phil 2. 6. 7.

§. 15. Tolle hic omnem contractionem in λόγῳ vel extensionem in carne: neq; enim unio est localis, vel quantiativa: sed personalis & mystica, quâ λόγος cum omni plenitudine Deitatis in assumptâ humanâ naturâ corporaliter habitat: Si ergo alicubi ponatur existentia λόγου extra carnem, negatur *inhabitatio & immanentia totius λόγου in carne*: cumq; λόγος non sit partibilis, aut totus λόγος erit EXTRA carnem, & adeo nullo modo erit incarnatus, aut dabitur λόγος geminus unus incarnatus: alter, non: aut totus erit *carni unitus*, quod posterius affirmat Apostolus. Sanè λόγος qui esset extra carnem, non minus esset λόγος: quàm ἐνωικωθεῖς: at omnino λόγος respectu diversarum χέσεων EXTRA & INTRA carnem, ἀντιφατικῶς sese haberet: & de λόγῳ respectu EXTRA dici non posset quod sit Filius hominis, *caro factus, in carne manifestatus*: quin λόγος ille EXTRA carnem, nobis adorandus & invocandus haur esset.

§. 16. Natura eadem assumpta, etiam in unione non exiit actum naturalem, non sit *natura infinita, & omnipresentialis per essentiae proprietatem*: sed manet actu naturali *circumscripta*, non quidem *physice* ambientis loci *superficie*: sed pro ratione *corporis* excellentissime glorificati, *intrinsece*, terminis essentiae: verè tamen illa ipsa natura finita, illud



ipsum corpus naturale & gloriosum, non ubiq<sup>3</sup> diffusum, non, nec naturale, nec gloriosum, uti criminatur Hospin. in Conc. disc. p. 12. actu personali, citra ullam deductionem essentiae in infinitum, assumentis λόγῳ infinito unitur sine omni διασείσει, quam nec ipsa mors facere potuit inter λόγον & humanam naturam.

§. 17. De injuriâ sibi illatâ passim audias querelas Calvinianorum. Si de primo communicationis idiomatum genere intelligatur, fatemur eam maximè esse realem. Heb. 2. 14. Act. 20. 28. itaq; omnibus modis negamus esse hanc communicationem Verbalem tantum: sed & veram & realissimam agnoscimus hanc ipsam: ait Combach. de com. Id. c. 7. p. 78. Intolerabilis vox Cinglii est lib. de verâ & falsâ religione: CHRISTUS eâ parte nobis salutaris est, quâ de cælo descendit, non quâ ex virgine natus est, & illa Danæi cont. Chem. p. 154. De naturis, rectè dici, unam naturam extra alteram locari posse. Beza id interpretatur Calumniam præf. ad Act. Coll. Momp. Admonit. Neost. p. 83. injuriam: sed dolosa est & contraria facto protestatio. Idem Beza, eodem responso, quasi sui oblitus: propositionem hanc: Dominus gloriæ est crucifixus, nos verbalem dicimus, ait: conf. sup. §. 8. & 9. & Combach. p. 78. & 94. qui proinde Alloeosin respectu naturæ disparatæ exclusivam & non saltem Idiomate attributo: Sed & ab ipso actu prædicato separativam, defendit contra Lutherum, & Formul. Concord. p. 770. & 771. Uno verbo passionem, crucifixionem &c. ad solam humanitatem ita referri debere, uti cum lego in marmore sepulcrali e. c. Dobberani

Hic Peter Wiese / tumbâ requiescit in ista &c.

sc. Hic jacet Petrus i. e. Corpus Petri, separatum ab animâ, quæ nullo modo ibi jacet: ita: Deus est mortuus, passus &c. i. e. sola Humanitas Dei est passa, qui est ipsissimus Nestorianismus: hæc enim ratione particula SOLA, non tantum est distinctiva subjecti quo passionis: sed & separativa alterius naturæ, a reali attributi de totâ personâ enuntiati communicatione, & ita naturæ ἀδιασείτως & artissimè unitæ separantur, dum realissima passionis prædicatio de Deo negatur: quin cum corpus illud Petri non habeat Unionem cum animâ, nisi ἁπλοῦς, resp. futurationis, & potentiae majoris, sequeretur non aliam quoq; inter λόγον & humanitatem ejus unionem esse: Et tamen hoc ipso simili de Petri cavere utitur Beza Epist. 60. p. 223. conf. idem resp. 1. ad a. ct. p. 79. & clare



clare Danæus: *Christus homo mortuus est pro nobis h. e. natura tantum illa Christi humana, quæ non per se in separata hypostasi: sed in ipsa una Christi personâ consideratur, mortua est*, Ex. lib. Chemn p. 24. *Quod ergo respectu personæ realem imò realissimam statuere se dicunt hanc communicationem, mera impostura est: per alloeosin enim subjecti illam personam resolvunt in unam naturam* conf. Dan. l. alleg. & Martinius, contra Menzer. p. 15. *Deus est passus, est Synecdoche totius pro parte* p. 26. cum dicitur: *Deus redemit Ecclesiam suo sanguine*, verbalis est communicatio, quia Deus propriè non habet sanguinem p. 184. *Tantum natura humana est mortua.* conf. Admon. Neost. p. 84. *Deus est mortuus i. e. humanitas unia Deitati est mortua* conf. & p. 86. & Bucan p. 234. *subjectum ergo quod, passionis & mortis illis est tantum humana natura, ut ita Deus dicitur passus &c. verbalitèr & Synecdochicè.*

§. 18. Patet id ex ratione Bezae primâ, quam ita profert: *Si Deus est passus. E. Deitas est passa: quia Deus & Deitas non differunt realitèr. Absurdissimum ergo æquè æstimat Beza sive dicatur: Deitas est passa: sive: Deus est passus: & tamen clamitant illi homines, se concedere, quæ hominis sunt, rectissime, verissime & realissime tribui Deo. Falsissimum est, ait idem Beza l. sup. alleg. hanc prædicationem: Deus gloriæ est crucifixus à me verbalem constitui in personâ: & tamen iterum Beza p. 323. epistol. ita resolvit: Dominus gloriæ est crucifixus i. e. corpus Domini gloriæ est crucifixum* addens: *quis verba ista audiens non statim intelligit crucifixionem ad corpus tantum referri debere?* Neq; minus aperte blasphemus est Beza: *si in his locutionibus concretis, DOMINUS GLORIÆ est crucifixus: Filius hominis, loquens cum Nicodemo in terris, est in cælis, & prædicatum propriâ suâ significatione accipiatur, tum dixi & dico, hanc phrasin, sive hunc prædicandi modum, esse VERBALEM, non REALEM i. e. quod Verba propriè sonant, non esse ad rem ipsam transferendum* præf. Resp. ad Acta p. 18.

§. 19. Nos cadaverosæ illi blasphemix opponimus i. expressa scripturæ dicta Act. 20. 28. ubi *sanguis Deo proprius memoratur* 1. Joh. 1. 7. *Sanguis Jesu Christi emundans nos ab omni peccato: Rom. 8. 32. idem Dei filius pro nobis omnibus est traditus, Rom. 5. 10. Gal. 2. 20. Act. 3. 15. 1 Cor. 2. 8. Heb. 9. 11. c. 13. 12. Apoc. 5. 9.* 2. Rationem manifestam: *Deus est homo, verissime realissime actu i. personali. E. verè quod, & realissime actu i. personali, Deus habet sanguinem, Deus est crucifixus &c. item: argumentum*



*ab æqualitate pœnæ, cum irâ & vindicatrice iustitiâ, qvòd ex hypothesi  
alloeoſeos Calvinianæ rueret, non negante id Calvino: Evidem fateor,  
ait, ſi quis ſimpliciter & per ſe Chriſtum opponere vellet iudicio Dei, non fore  
merito locum: qvia non reperietur in homine dignitas, quæ poſit Deum pro-  
mereri: l. 1. inſtit. c. 17. p. 179. Contra λύτην debuit eſſe ſufficientiſ-  
ſimum & perfectiſſimum, imò & abundantiſſimum: qvòd proinde non  
eſt humanitatis tantum: ſed verè & realiſſimè ὑπεριτικῶς ipſius Dei.  
Paſſio ſc. actu naturali & adeò πρῶτως & per ſe carni compe-  
tit: actu personali non ex nature proprietate: ſed ex perſonæ identi-  
tate æſtimando, & adeò ὑπεριτικῶς æqvè primo Divinitati in con-  
creto; ut ita realiſſimè pariatur totus Θεάνθρωπος. Obj. 1. E. Deus eſt  
mutabilis. Reſp. ſequeretur, ſi paſſus eſſet ὑποσιωδῶς. Obj. 2. Synecdo-  
che totius pro parte. Reſp. Neg. actiones & paſſiones ſunt proprie ſuppo-  
ſitorum: totus homo generatur: totus homo moritur: qvia non corpus  
à corpore: ſed corpus ab animâ ſeparatur. Ob. 3. particule. Reſp. ſunt  
illæ in 1. genere διακριτικῆ, αιτιολογικῆ, σημαντικῆ: at nequaquam  
χωριστικῆ alterius nature, à reali attributi communicatione. Ob. 4. E.  
& Deitas paſſa. Reſp. in concreto: Deus eſt paſſus, mortuus, ita ut  
λόγος, ſibi paſſiones Carnis, ipſamq; mortem verè appropriaverit,  
ad quam ἰδιοποίησιν prædicatio in Concreto ſufficit: & certè actus paſ-  
ſionis licet non redundaverit in Deitatem: ſed in humanitatem: verè ta-  
men redundavit ad Deitatem reſp. ipſius actus, ut res & ſenſus ſit veriſ-  
ſimus, etſi σκληρῶς ὁ λόγος conf. tamen Formul Concord. p. 770.  
771. 776. cum qvâ & ſentire & loqui hic amamus, licet, ut Bezam & ali-  
os, hanc propoſitionem: Filius Dei eſt paſſus ſecundum carnem, cum re-  
ſervatione alloeoſeos ſubjecti Calvinificæ, admittentes, è latebris pro-  
traherent, illam abſtractivam (ſed non in abſtracto) prædicationem: Dei-  
tas actu personali eſt paſſa: item: Chriſtus eſt paſſus qvoad (non: ſecundum)  
naturam, non ſine cauſâ uſurpaverint Tübingenſes, & qvondam  
orthodoxi Patres Vigil. cont. Eut. l. 2. f. 92. Aug. thom. 3. qvæſt. de Tr.  
p. 1381. Conf. Adverſarii Junii teſtimon. ſuper Bell. annot. cont. 2. l. 5.  
c. 3. Affelm. in Act. 20. §. 59. 60. 61. conf. Act. coll. Mompelg.  
pag 276.*

§. 20. Communicationem illam, non qvidem Phyſicam, neq;  
 tamen



tamen verbalem: sed hypostaticam & realem, imò realissimam majestatis, quâ divina natura Filii propter unionem hypostaticam, assumptæ carni propriam communicavit excellentiam & increatam gloriam, (quod genus ὑπερψωσιν ex Apostolo: μετέδοσιν, βελτίωσιν &c. nominarunt Patres) ita ut ipsa caro Christi sit vivifica, sit adorabilis, sit particeps & capax omnipotentia Dei, non separatim seu proprietate naturali: sed ex actu personali, ut Semen mulieris potuerit conterere caput serpentis, & sanguis ejus nos mundare à peccatis, negant Calviniani: conf. Beza in Act. coll. Momp. p. 212. Sadeel de 2. nat. in Christo pag. 208. Danaus in exam. lib. Chemn. p. 398. Combach de comm. Idiom. p. 122. ubi sigillat præfationem Formulæ concordia, quod Idiomata divina seu majestatem increatam assumptæ naturæ datam & communicatam statuatur, ita tamen, ut hæc illa nec essentialitèr nec formalitèr, nec habitualitèr, nec subjectivè habeat.

§. 21. Nos illam probamus 1. Hypostasis τοῦ λόγου realitèr carni est communicata, ut ab hæc realitèr possideatur, & hæc in illà subsistat personalitèr. Hypostasis τοῦ λόγου est proprium τοῦ λόγου (non quidem absolute οὐσιῶδες: sed relatè οὐσιῶδες) E. 2. A gloriâ Unigeniti Joh. 1. 14. 3. quam gloriam ab æterno apud Patrem habuit Filius, ita ut propter hanc Christus homo sit Filius Dei, & illa ipsa sese manifestaverit per divina miracula, illa gloria est verè increata & infinita, conf. jam Joh. 17. 5. Joh. 1. 14. 2. Pet. 1. 17. Apoc. 5. 12. Joh. 2. 11. probamus 4. ex Omniplenitudine divinitatis in Christo habitante σωματικῶς Col 2. 9. 5. à Spiritu non ad mensuram dato Joh 3. 34. & inductione illà attributorum prædicabilium, & organicorum ac energeticorum, qualia sunt Omnipotentia, omniscientia &c. e. c. πάντα ἐξουσία in celo & in terrâ Matt. 28. 18. Dan. 7. 13. 14. Joh. 5. 22. c. 6. 54.

§. 22. An humanitas Christi, quatenus in hypostasin τοῦ λόγου est assumpta, & ad dextram Dei exaltata, sit omnipræsens, disputatur. Negant id adversarii, tum Calviniani tum pontificii aliquando in subsidium, velut orthodoxè totum negotium de personâ Christi, & unionem hypostaticâ 2. naturarum explicantes, à Calvinianis & Calvinizantibus sollicitati & commendati, de quo sibi gratulari habuit Sperlingius, & ordo Jesuiticus conf. Hosp. conc. disc. p 17. 18. qui idem dogma de omnipræsentia carnis Christi vocat portentosum Marcioniticum & Eutychianuum monstrum ibid. p. 11. Sed apprimè notato Sadel p. 268. Nos pauca præmi-



præmitimus. 1. Aliud est *Omnipresentalitas* : aliud *Omnipresentia* : illa proprie est *Idioma* s. *attributum* : hæc, *attributi effectum* & *omnipresentalitas* usurpata: illud ad *genus secundum* seu μεταδόσεως : hæc ad *tertium* s. *operum officialium χειροποιήσεως* pertinet. 2. Non sunt confundenda *ἀδιασπασία*, *propinquitas substantialis* seu *adessentia*, & *omnipresentia*. Prima Nestorianæ ὁμοιωσεως opposita, solam *intimam illam duarum naturarum* dicit *ὑπεχώρησιν* s. *indistantiam* carnis assumptæ à persona τοῦ λόγου, ita ut per hanc à momento unionis nusquam sit λόγος extra carnem, & nusquam caro EXTRA λόγον vel cogitanda: quomodo nec in ipsâ morte inter λόγον & carnem διάσπασις fuit: & hæc ἀδιασπασία reflectitur intrinsecè, ita ut non egrediatur λόγον & carnem, & dicit adessentiam intimam, estq; ex hypothetis unionis planè necessaria: At *Secunda*, est *adessentia extima*, ad creaturas relata, quâ caro assumpta in hypostasi τοῦ λόγου adest apud creaturas. *Tertia* est, quæ suppositâ illa ἀδιασπασία & externâ παρουσίᾳ dicit formalitèr *regimen* seu *operationem* in regno potentia, gloria, & gratia. Non quæritur hic de ἀδιασπασία illâ: sed de *Omnipresentiâ*, ejusq; *Majestate*, & *pleniſsimâ usurpatione*: illam ab *Incarnatione*, nunquam interruptam, & particularitèr in regno potentia, sub ipsâ formâ servi exercitam, arcessimus: hanc ab ὑπερυψώσεως deducimus: exertio enim illa *plenaria* majestatis sine ullâ duplicatione hujus (neq; enim diversa majestatis in diversis statibus usurpatione duplicat ipsam majestatem...) velut opus ad extra, in liberâ voluntate τοῦ λόγου consistebat, qui proinde cum esset ἐν μορφῇ Θεοῦ usurpare hæcenus potuit: sed noluit, & ex hypothesi κενώσεως, ἐκουσίως sese illo plenissimo jure abdicavit, evacuans seipsum, & factus obediens ad usq; mortem, mortem autem crucis.

§. 23. Nec de actu naturali, de *quantitativâ*, *locali*, *diffusivâ*, *multiplicativâ*, *extensivâ adessentiâ*, nec de *essentia infinitate*, vel *inclusivâ humanitatis ubi-quitate* hic quæstionem esse, satis ex supetiori quæstione, constabit. *Ubi-quitatem* enim illam prodigiosam & portentosam, quâ corpus Christi EODEM MODO, quo Divinitas, immensum, & infinitum, ratione suæ essentia, vel PROPRIETATIS ESSENTIALITER, COMMUNICATÆ, UBIQUE DIFFUSUM, & PRORSUS Divinitati EXÆQUATUM esse fingitur, & nos toto pectore damna-



damnemus, & execramur conf. David Chytræus resp. ad Carol. Dan-  
zæum Legatum Reg. Galliaë Epist. ad Pafelicum Danum p. 1008. Nos sta-  
tum supra positum conf. §. 22. non aliis fundamentis, quam quæ formula  
Concordiæ dudum præscripsit, roborabimus.

§. 24. De præsentia ergo reflexâ intrinsecâ, quæ ingreditur forma-  
lem rationem unionis hypostaticæ, probat Form. Concord. sententi-  
am Lutheri ex confess. majori de Cœnâ Domini pag. 784. *Ubi, ubi fi-  
lius Dei personalitèr est, ibi etiam necessariò homo erit. Non enim in Chri-  
sto sunt 2. separatae personæ: sed unica tantùm est persona. Ubiunq; rectè  
dixeris: Hic est Deus: ibi fateri oportet. E. etiam Christus homo adest. Et si  
locum aliquem monstrares, in quo sit solus Deus, non autem homo: jam statim  
persona divideretur. Posses enim rectè dicere: Hic est Deus, qui non est ho-  
mo, & qui adhuc nunquam homo factus est. Absit autem ut ego talem Deum  
agnosciam, aut colam. Ex his enim consequeretur, quod locus & spatium pos-  
sent duas naturas separare, & personam Christi dividere, quam tamen neq;  
mors, neq; omnes Diaboli dividere aut separare potuerunt. Ita gravitèr con-  
tra διὰ τὸ Nestorio-Calvinianam Lutherus & Form. Concordiæ.*

§. 25. Uti tamen ab eo momento, in quo divinitas cum humanitate uni-  
ta est in unam personam, homo ille, qui est Filius Mariæ, reverà est & voca-  
tur omnipotens, æternus, Deus, qui æternam habet potestatem: ita quoq; ab  
eo momento, homo ille Mariæ filius, reverà fuit omnipræsens actu 1. sem-  
per, actu 2. in Exinanitionis statu liberè & voluntariè abdicato: at in  
superexaltatione plenissimè exercito, de quo iterum Form. Concord. p.  
784. loquitur, quando juxta supernaturalem divinum modum, supposito  
exaltationis statu, & adeò non ratione essentiæ vel proprietatis essentiali-  
tèr communicata, uti verba hæc explicat Anatomia Universalis Massonii  
p. II. omnia plena esse Christi dicit, etiam juxta humanitatem: quæ ipsa  
Form. Concord. p. 774. accuratè ponit tria principia subordinata præ-  
rogativarû increatae majestatis e. c. omnipræsentiæ. Verba ejus hæc sunt:  
*Sacrae literæ & orthodoxi patres testantur, quod humana natura in Christo  
eam ob causam, & inde, quod cum divinâ naturâ PERSONALI-  
TER UNITA est, deposito servili statu & humiliatione jam GLO-  
RIFICATA & ad dextram majestatis & virtutis divinæ EXALTATA  
præter & supra naturales, essentielles, atq; in ipsâ permanentes humanas pro-  
prietates, etiam singulares, supernaturales, & ineffabiles prærogativas & c.  
acceperit, ut ita humana natura Christi in exequendo officio simul adhibea-*

G

tur,



tur, *cooperetur*, non tantum secundum *essentiales proprietates*: sed *præcipue secundum Majestatem, gloriam, virtutem atq; potentiam*, quam 1. per UNIONEM HYPOSTATICAM 2. GLORIFICATIONEM, 3. EXALTATIONEM accepit: Hæc Form. Conc. quæ in controversiâ de *Omnipræsentiâ extimâ* ad creaturas relatâ, accuratè sunt notanda.

a. 26. Videtur quidem p. 608. in Epirom. Form. Concord. solam assumptionem hominis in Deum pro adæquato principio ponere, & elevationem humanitatis in plenarium usum majestatis immediatè cum unionènectere. Verba ejus sunt: *credimus, docemus, & consistemur, filium hominis ad dextram omnipotentis Majestatis & virtutis Dei realitèr secundum suam humanam naturam esse exaltatum*, cum homo ille in Deum assumptus fuerit, *quàmprimùm in utero matris à Spiritu S. est conceptus &c.* cæterum non dicitur: *filium hominis fuisse ad dextram Omnipotentis Majestatis exaltatum, quando homo in Deum assumptus fuit*: sed: *cum* (quæ particula hic non est temporis declarativa: sed potius causæ redictiva: *Weil er in Gott aufgenommen*) *homo ille in Deum assumptus fuerit*: adeoq; *assumptio humanitatis in Deum non ponitur consumata exaltatio Christi secundum carnem*; seu *ὑπερψώσις* illa, de quâ Apostolus Philip. 2. ne hæc cum illa resp. *immediatæ sequelæ* conjungitur: sed hoc saltem dicitur, *causam, fundamentum, & rationem exaltationis Christi ad dextram Dei, esse assumptionem in Deum, quæ in conceptione facta est, & illam quidem ad hanc immediatè secutam fuisse, resp. ipsius Omnipotentis Majestatis seu ejusdem κτήσεως, & possibilis χορήσεως*: quia in ipso instanti unionis, humana natura evectora fuit in communionem personæ & gloriæ divinæ: & *actū* quoq; *secundo*, respectu plenarij exercitij & *χορήσεως* Majestatis secuturam fuisse, nisi libere voluisset *κενώσει ἐαυτὸν* & *evacuare seipsum* Phil. 2. 7. 8. ob quem voluntarium obicem, Christus, *majestatem illam omnipotentem*, ratione unionis personalis semper habitam, in statu exinanitionis non semper: sed *quoties ipsi visum fuit*, exeruit, donec *formam servi*: non autem naturam humanam, post resurrectionem, planè & prorsus deponeret, & in *plenariam usurpationem, manifestationem & declarationem divinæ majestatis collocaretur*, ut jam *non tantum ut Deus*: verum etiam *ut homo OMNIBUS CREATURIS PRÆSENS SIT*. Ita ergo à *consumatâ exaltatione* ἢ *ὑπερψώσει* Christi secundum carnem immediatè fluit *plenarius majestatis OMNIPRÆ-*



PRÆSENTIÆ ad creaturas relatæ usus. Videatur eadem formula Concordiæ p. 753 754. quæ ibidem graviter addit: *Scimus quidem rem reverà ita se habere, modum autem, quo ista fiant ignoramus. Excedit hoc mysterium, naturam & rationis humanæ, imò Angelorum in cælis captum: SOLI DEO NOTUM EST.* Ita statuit Form. Concord. quæ & hîc & alibi p. 764 765. 767. Scripturis Sacris (conf. Eph. 1. 22. 23. c. 4. 10. c. 5. 23) consentanea loquitur. Conf. Chytr. Ep. p. 1199. Chemnit. (qui uti illorum, quibus *Symboli* hujus, *Formula Concordiæ* sc. adornatio & conscriptio demandata fuit, pars magna fuit, ita *μηδὲν κλυδωνιζόμεν* eidem subscripsit, & sine reservatione ac retractatione firmiter adhæsit) in aureo lib. de Unione perf. & com. Idiom. toto c. 30. à p. 183. ad p. 206. sed & sententiam Form. Concord. optimus interpret expressit *litteris Germ ad Barthol. Mejerum Superint. Cassell.* anno 1577. quæ dignissimæ lectu extant in *Conc. Concordiæ* Hutteri p. 116. quæ eadem *Concordia Concors* vid. p. 106. 107. 171. p. 292. 293. 295. p. 321. 348. *Ubiquitatis* sanè vocabulum in totâ Formulâ Concord. vix est usurpatum: sed à *Sacramentariis* in odium dogmatis de *divinâ Filii hominis Majestate* introductum, ut non injuriâ, *portentosum & scandalosum* illud æstimaverit Brenrius: multo minus autem *ubiquitas absoluta*, quâ caro Christi fingitur suâ substantiâ inesse omnibus creaturis, lignis, lapidibus, herbis, vel quæ est *expansio, extensio, diffusio carnis Christi in omnia saxa, in omnes herbas &c.* ullibi probatur in illâ *Concordiæ Formulâ*, ejusq; Apologiâ conf. loc. sup. alleg. ex Conc. Concord. & not. Margin. Luther. in Bibl. Germ. ad Eph. 1. 22. 23. c. 4. 10.

§ 27. Obij. *Corporis Christi non sunt 2. formæ E. non 2. actus primî.* Resp. lim. anteced. *naturales propriæ*: sed *una naturalis*: altera *personalis*. E. tales quoq; sunt *actus*: omnino dandus est aliquis *actus* seu *forma*, per quam humanitas habet esse *ὑποστειτικὸν* in λόγῳ. Obij. *Proprietas veri & ὁμοουσιῶν corporis repugnat omnipræsentiæ.* Resp. ad anteced. *propriam personalitatem habentis*: at non item in *infinitâ hypostasi τοῦ λόγου subsistentis*. *Actus naturalis* non est *actui personali* contradictoriè opponendus: sed subordinandus. Non ergo valet de illo corpore, in quo *inhabitat omnis plenitudo Divinitatis* Col. 2. 9. & ubi talem repugnantiam dicit Scriptura? Heb. 2. 12. At hâc ratione ineptissimè concluderetur *ad humanâ naturâ Christi ad nostram affirmativè*: & à *nostrâ ad humanam*



Christi negativè. Scilicet, ergo *Omnia individua humana essent τῷ λόγῳ personalitèr unita, & in hypostasi Filii Dei subsistentia*, imò in omnibus inhabitaret πᾶν τὸ πλῆρωμα τῆς Θεότητος & σωματικῶς, omnes homines sederent ad dextram Dei, vel ne ipsa quidem humanitas Christi. Absurdissimè. Obj. Silentium scripturæ de tali omnipræsentiâ Christi secundum carnem. Resp. 1. De præsentia divinâ modificatâ gratiosâ totius Christi, & adeò secundum substantiam quoq; consubstantialis nobis humanitatis, in Ecclesiâ & Sacramentis, expressa extant scripturæ testimonia, unde ruunt, qui ex hypothese non nisi locabilis, visibilis & circumscriptæ carnis Christi præsentia illius substantiam tollunt ex sacram. Coenæ. 2. De præsentia modificatâ universalî satis testatur *implotio, omnium subjectio & ipsa addextram patris sessio*, à quâ tamen ad speciem descendendum non est, nisi præeunte scripturâ, uti de ipsâ divinitate omnia implente Jer. 23.

§. 28. Obj. *Corpus Christi glorificatum fuit visibile & visum palpabile, & palpatum* Joh. 20. 20. 27. Resp. Actus primus fuit à corporis proprietate: secundus à dispensatione: sicut ipsum comedere. Obj. Act. 1. 11. illud *οὕτως ὃν ἔγερται* Resp. *visibilitèr ascendit, visibilitèr redibit*. Obj. E. est in Sacramento anteqvam est in Sacramento Resp. ad ant. *Personalitèr*: ad 2. *Sacramentalitèr*. Spiritus S. fuit ad Jordanem, anteqvam descendit super Christum in specie columbæ. Obj. *Omnipræsens est infinitum*. Resp. limit. 1. Omnipræsens *ἐνοσιωδῶς* per essentiam sic neg. minor. 2. limit. præd. omnipræsens est infinitum, vel *infinito (λόγῳ) personalitèr unitum* 3. *formalitèr* infinitas non est omnipræsencia: sed fundamentum omnipræsentiæ, nec infinitas essentia: sed unio cum infinito λόγῳ causa est illius præsentia. Obj. Idem de eodem simul verè affirmari & negari impossibile est. R. Idem, secundum idem, eodem modo, actu &c. conf. 1. Reg. 19. 11. 12. Jer. 23. 23 Luc. 24. 44. Obj. Corpus in Unione manet finitum, & partibus distinctum. Resp. sed non *respectu Unionis* s. *actus personalis*. Obj. Act. 3. 21. Concord. Discors p. 16. Resp. 1. quæ consequentia: *μετανοήσατε* v. 19. quia Christus cælo capitur, ibidemque velut arresto vel obstagio detinetur. 2. Naturalis planè sequela est: *Ἰησοῦς Χρ. δέχεται δουραδὸν*: & cælum, *gloriam, majestatem, cum subiectione hostium, & dominio* s. *regno in medio inimicorum* notat conf. 1. Cor. 15. 25. Inf. ἀχελ



*ἔχει χεῖρας.* Resp. conf. Pf. no. 1. Act. 2. 35. E. Christus post scabellum illud hostile suppositum, non amplius sederet ad dextram Patris: quin hæc ratione sequeretur: *Christum post magnum illud iudicium non futurū in cælo, actu naturali.* Ob. Christi corpus pendens in cruce & jacens in sepulcro non fuit omnipræsens, non fuit Romæ, Athenis &c. eodem momento Resp. 1. fuit tamen ἀδιάσπαστον τῷ λόγῳ in cælo & terra: majus quid est humanitatem Christi ὑπερπικῶς, esse in Deo: quam præsentem in terrâ & cælo 2. habuit Christus secundū humanitatem, Majestatem omnipræsentiæ, quia semper fuit in formâ Dei: nõ exeruit tum, quia erat in formâ servi, s. evacuavit seipsum. Facile ex dictis reliqua diluuntur argumenta e. c. Christus passim dicitur *hic vel illic absuisse.* Resp. non *secundum modum* majestatis: sed *naturalis corporis, & statum exinanitionis*: non est in sepulcro, *circumscriptivè* sc. *jacens mortuus*: quia resurrexit: relinquit mundum, quando nõ amplius, ut ὄπτανόμενος & ἐσυναλιζόμενος versatur in mundo: *ascendit in cælos*: sed ita ut ascenderit *super omnes cælos, ut impleteret omnia* Eph. 4. 10. conf. Jer. 23. 23. 24. cujus quidem *Omnipræsentiæ* ut modificatæ voluntas à *promissione*: potentia ab *Unione* nobis est petenda in applicatione s. descensu. Benè Lutherus: *Die Sacramentirer verstehen nit / was Christus Reich sey / vnd zur Rechen Gottes sigen. Wann Christus nicht bey mir im Reiche der Marder / Erde / were / wo wolt ich bleiben ?* Serm. de Sacr. contra Swermeros, & aded ibi quærendus, & certissimè credendus est totus Christus, ubi se præsentem in Verbo promisit.

§. 29. Quid de tertio genere, quod actiones Θεανδραγωγίας complectitur, & κοινωνία ἐνεργειῶν rectissimè dicitur, sentiant Calviniani, facile ex superioribus patebit: conf. §. 8. Quæritur sc. an in operibus officii triplicis præter κοινωνίαν ἀποπελοσμάτων sit verissima & realissima κοινωνία ἐνεργειῶν, ita ut utraq; natura in Christo agat cum realissimâ COMMUNICATIONE alterius, quod cujusq; proprium est. E. c. in miraculo resuscitata puella; ὁ ἐνεργῶν s. Agens quod Scholasticis dictum, fuit tota persona, CHRISTUS per utrumq; ἐνεργητικὸν, producens, apotelesma, quod est *puella à mortuis, resuscitatio*: unde ab utroq; ἐνεργητικῶ, gemina fuit ἐνεργεια s. Actio: tenere enim puellam manu, & erigere, est humanitatis: vivificare, divinitatis: & has quidem



actiones in Deivirâ actione inseparabiles esse, utrinq; conceditur: uti & illud, quod si humana natura ratione proprietatum suarum consideretur solius Divinitatis sit vis *ἐνεργητικὴ*, à quâ sequitur actio vivificandi: at in illâ ipsa unione personali ita divina natura agit, quod sibi proprium est, sc. vivificare, ut verè, ex virtute vivificandi communicatâ, communi- cetur humanitas, & ita divina natura agat sibi proprium, cum communi- tione reali naturæ humanæ, ex 2. Commun. Genere: humana natura sibi proprium, cum communicatione reali naturæ divinæ ex 1. Commun. I- diomatum genere, ut impudens sit comparatio Danæi: Ad efficienda mi- racula, non plus caro Christi, quàm ad edita ab Apostolis & Moise miracula, caro Apostolorum, aut virga Moysi contulit.

§. 30. Pro affirmativâ nostra Urgemus 1. Ipse Sanguis filii Dei emun- dat nos ab omni peccato, aut citra, aut per communicationem cum na- turâ divinâ. Non prius, quia effectus infinitus non fluit ex principio Physico finito, ut sic. E poster. Eadem ratio: effundi pro remissione pec- catorum, sanguini Christi attributum. conf. 2. testimonia scripturæ Act. 10. 38. Matt. 12. 28. Luc. 11. 20. Joh. 6. 53. 1. Cor. 15. 21. Joh. 5. 20. c. 11. v. 40. Addatur 3. Si non nisi humana in his operibus officialibus carni Christi sunt attribuenda, sequetur illam non arctissimâ unione & *ἁπλοῦς*, subsistere in divinâ *τῷ λόγῳ* personâ: nefas erit, Christum, ut hominem adorare, in eum credere, baptizari. 4. Regula Conc. Chal- ced. In operibus officii unaquæq; natura in CHRISTO, AGIT CUM COMMUNICATIONE ALTERIUS (quæ differentia specifica hujus generis est) quod cujusq; proprium est: quæ Regula ita tamen explicanda est, ne tolla- tur discrimin statuum *κεινώσεως & ὑπερψώσεως*, quâ de re vid. Ap. Saxonie. contra Tübing.

§. 31. Ob. 1. E. caro Christi est Deus: qui est *עושה נפלאות לברו*. Resp. 1. Conced. in unione Hypostatica: quia enim Verbum caro factum est. E. Verbum est Caro: & Caro Verbum actu 1. personali: non naturali quia non edit miracula ex proprietate naturali. conf. Christ. Pelarg. in expl Damasc. Chrysostræ p. 128 129. Obij. 2. Miracula fuerunt argu- menta Divinæ naturæ. Resp. E. potentia edendi miracula non fuit in hu- manitate subjective vel proprietative: sed personaliter saltem & com- municative. Concedimus Calor manet argumentum ignis, licet in ferro ignito, deprehendatur per ferrum. Obij. 3. Si eadem *ἐνεργείαι*,  
ergo



ergò & eadem λόγῳ & assumptæ carnis οὐσία Resp. limit. anteced. Si eadem energiæ sc. naturaliter & essentialiter: sic falsa assumptio.

Conclus. II.

**CHRISTUS** non secundum divinam, nec adeò secundum utramq; sed solam humanam naturam est exinanitus.

ANTITHESIS.

Errant ergò qui vel illam referunt ad divinam naturam: vel, qui duplicem fingunt exinanitionem, unam Deitatis: alteram humanitatis: vel qui illam per incarnationem definiunt. Sohn. T. 2. p. 240. Martin. p. 19. cont. Menz. Sadeel. p. 192. 193.

§. 1. Probatur conclusio 1. Divina natura est immutabilis. 2. Divina natura nec pati, nec mori potest: adeoq; nec exinaniri: quia mors crucis terminus ponitur, exinanitionis. 3. secundum illam naturam Christus sese exinanivit, secundum quam est unctus Spiritu & Virtute Altissimi. 4. conf. Pl. 8. 6. & 22. 7. Recte ergò Form. Concord. concludit. 1. ipsum Filium Dei (non nude solam humanam naturam, cujus proprium est pati, mori &c.) verè pro peccatis totius mundi esse passum; & verè mortuum. 2. Sed secundum humanam naturam assumptam: divina enim natura neq; pati, neq; mori potest. p. 766.

§. 2. Scilicet dicere: SOLAM CARNEM humiliatam, crucifixam, passam & mortuam esse; est NESTORIANUM: at dicere CHRISTUM nullo modo secundum divinam naturam: sed tantum secundum humanitatem sese exinanivisse, vel: Totum Christum esse exinanitum: sed secundum solam carnem in genere commun. Idioma. orthodoxe dicitur: particula sc. secundum non divinam naturam excludit: sed tantum, cujus naturæ proprium hoc vel illud sit, ostendit. Licet ergò realiter sine ullo tropo, & Eutychnianismi periculo, exinanitio, passio mors &c prædicetur de λόγῳ, ita ut λόγῳ illam exinanitionem, & passio-



passiones carnis sibi verè appropriaverit, quod ad *ἰδιοπιήσιν* sufficit, non tamen opus est, ut cum Theopaschitide *divinâ naturâ in abstracto, vel de Christo secundum divinam naturam* prædicetur exinanitio, passio &c. conf. Form. Concord. p. 770. 771. & blasphemia vox Bezae in præfat. ad acta Coll. Mompelgard. p. 18.

§. 3. Unio personalis facta non est in statu exinanitionis: (neq; enim *κένωσις* fuit ante *ένωσιν*) sed est fundamentum statuum: nec e, *incarnatio* est ipsa *exinanitio* & *formæ servi* assumptio: quin cum Exinanitio describatur *actibus passionis, crucifixionis, mortis, & sepulture*, patet facile definitionem Exinanitionis, Incarnationi non convenire: Divinitati autem in contradistinctione humanitatis, talem adscribere exinanitionem, quæ consistat in non exertione, repugnat & *actui purissimo*, & illi expello: PATER meus, ait Christus, operatur, & ego operor. Joh. 5. 17. *λόγος* ergo in ipsâ exinanitione unâ cum Patre, indivisè, & incessantè & semper omnia operatus est: & adeo reflexus intrinsecè nullo modo se exinanivit: sed *respectu naturæ assumptæ*. Uti autem filius Dei sese humiliasse, dum *ad liberandum, suscepturus hominem, non horruit Virginis uterum*, alio sensu piè dicitur: ita exinanitio illa sive *πενήνωσις*, sive *κένωσις*, de quâ Apostolus ad Philip. 2. agit, nec est incarnatio: nec est *λόγον* incarnati, secundum Deitatem; sed secundum humanitatem: estq; illa non, *donorum habitualium abdicatio*: sed *infinitorum idiomatum communicatorum, non* (continua, & plenaria) *exertio, in formâ servi humilis subjectio, adusq; mortem crucis, eademq; primario* privativa resp. exercitii: secundario positiva.

§. 4. Obj. *Secundum quam naturam sese exinanivit, secundum illam Deo fuit æqualis*. At non hoc secundum *humanitatem*. E. nec illud. Resp. 1. Neg. major. Phil. 2. v. 5. & 6. describitur *Exinanitionis subjectum* v. 7. 8. *prædicatum*. Nec valet conseq. Filius Dei, Deo æqualis semetipsum exinanivit. E. *quatenus Deo æqualis*. Conclud. erat. E. respectu *appropriate carnis*. Obj. *Forma servi est natura humana*. Resp. Neg. quia in exaltatione est *deposita*. Obj. 4. *Forma Dei*. Resp. *Humanitas Christi fuit in formâ Dei* ob unionem personalem, & *majestatu divine realem communicationem*: at non fuit ipsa forma Dei.

Con-



*Conclus. III.*

SANGVIS CHRISTI in arâ crucis pro nobis effusus, non computruit, vel ad nihilum est redactus: sed idem numero in venas Christi est reassumptus: & licet in ipsâ effusione fuerit separatus à corpore, mansit tamen in hypostaticâ unione.

*ANTITHESIS.*

Conf. Sad. contra Gregor. de Valent, Tom. 4.  
Disp. I. Quæst. 5. p. 247. 248. 249.

S. I. Ex aperto lanceâ latere  $\pi\theta\upsilon\eta\chi\acute{o}\tau$  in cruce JESU CHRISTI, miraculoso planè, quod contra assertum Calvin. *Comm.* in c. 19 Joh. statuimus, profluxu eoq; Sacramentorum significativo, conf. I. Joh. 5. 6. 7. Sangvinem & aquam effluxisse, unus Evangelista testatur  $\alpha\upsilon\tau\acute{o}\pi\eta\tau\eta\varsigma$  Joh. c. 19. 34. De sanguine quid sentiamus ipsâ conclusione superiori expressimus. Probamus illam 1. ex textu Davidico: *Non permittes sanctum tuum videre corruptionem*: ubi principalis ad corpus Messie in triduo mortis respectus Pl. 16. 10. Act. 2. 31. 2. ex textu Petrino, & *incorruptibili redemptionis pretio*. sc. Quo sumus redempti, & quod emundat nos ab omni peccato, id est *incorruptibile*. At ille ipse sanguis Jesu Christi &c. 1. Pet. 1. 18. 3. à *Sanguinis testimonio* 1. Joh. 5. 8. ut taceamus corporis resuscitati & in cruce penetrat  $\delta\mu\omicron\upsilon\upsilon\sigma\iota\alpha\nu$ . Sanguis ergo Christi effusus in cruce, nunc est in venis Christi Salvatoris in cælo. conf. M. Anton. de Domin. de rep. Eccl. l. 5. c. 6. p. 75 76. 77. Durandus 4. dist. 10. q. 1. n. 19. Rich. in 3. dist. 2. art. 2. Thom. 3. q. 54. art. 2.

*Conclus. IV.*

CHRISTUS potestate toti SS. Trinitati communi,  $\alpha\upsilon\tau\acute{o}\zeta\omicron\upsilon\sigma\iota\omega\varsigma$ , cooperante actu personali  
D actu



(actu enim naturali ipsa indiguit vivificatione) ipsa humanitate, resuscitavit seipsum, ita ut ἐνεργεια humanæ naturæ ad sui ipsius resuscitationem concurrerit: principio tamen formali manente λόγω: quia divinitatis proprium est vivificare,

ANTITHESIS.

Errat ergo Sadeel de h. nat. Chr. p. 159. Multa certè præclara miracula Christus edidit adhibitâ carne tanquam instrumento: sed cum λόγῳ excitavit carnem suam à mortuis, quod miraculum miraculorum nonnulli appellant, fecit quidem illud in carne, & cum carne, quam nunquam deseruit: sed non id fecit per carnem, quæ hîc percepit beneficium: non fuit ipsius beneficii conferendi instrumentum Beza Act. Coll. Mompelg. Vis vivificandi humanæ naturæ non potest communicari p. 341.

§. 1. Pro thesi *Virtutis vivificandi* urgemus 1. Christus habet in se secundum humanitatem inhabitantem totam Deitatis plenitudinem, ergo quoque habet in se (non quidem ut proprium: sed communicatum) virtutem vivificandi Col. 2. 9. 2. Joh. 5. 26. 27. conf. Act. Coll. Mompelg. p. 337. & seqq.

§. 2. Pro hypothesi urgemus 1. Joh. 2. 19. 21. c. 10. 17. 2. Subiectum & principium actionum est tota persona. 3. Unio naturarum artificissima facit, ut Caro Christi agat & operetur vivificationem suam reali & verâ communicatione virtutis vivificandi. Obj. Resuscitatio Christi adscribitur

Deo



Deo Patri. Resp. sub notione principii *ἀντικειμενικῶς* competit toti SS. Trinitati, ut *opus ad extra & διακειμενικῶς* Patri Act. 2. 24. c. 3. 15. c. 4. 10. c. 5. 30. c. 10. 40. c. 13. 30. 34. 37. c. 17. 31. Rom. 4. 24. c. 8. II. c. 10. 9. 1. Cor. 15. 15. 2. Cor. 4. 14. Gal. 1. 1. Col. 2. 12. at inde non sequitur. E. non concurret humana natura ad sui resuscitationem virtute communicata, nisi sub notione termini. Obj. *In corpore in sepulcro jacente virtus illa fuit evacuata.* Resp. 1. non nisi resp. vitæ naturalis: de cætero *corpus Christi jacens in sepulcro verisimè vivificum fuit, & caro vivifica*, quia illius propria fuit, qui est essentialis vita. 2. Anima & corpus personaliter non fuerunt separata, quia Unio personalis in morte non fuit soluta.

*Conclus. V.*

CHRISTUS uti miraculo est excitatus: ita miraculo est egressus ex sepulcro, nondum lapide monumenti ab Angelo in terræ motu descendente, revoluto.

*ANTITHESIS.*

Calvinus: Ad occursum Christi se flexit lapidis durities: vel: ejus imperio amotus, transitum dedit, & mox in locum suum rediit l. 4. Instit. c. 17. Christus secundum divīnam naturam viam aperuit, secundum humanam naturam per viam apertam exivit. Sohn, Tom. 2. p. 263. addit idem: verosimile, in motu terræ devolutum lapidem, apertum sepulcrum, ministerio Angelorum. Polanus Syntagm. Theol. l. 6. c. 23. p. 235, Sadeel op. Th. p. 313. 314.

§. 1. Christum resurrexisse prius, quàm *Angelus Domini in terræ motu*  
D 2 *descen-*



*descendens de caelo, devolvit lapidem à sepulcri ostio, & adeo non propterea descendisse Angelum, ut Christo resurrecturo per devolutionem lapidis aperiret sepulcrum, ex historiâ Evangelicâ colligitur, quæ terræ motum non propter Christum, ut demum resurrecturum: sed propter Angeli descensum factum esse asserit: Ἄγγελος δὲ κυρίου καταβὰς &c. fines autem descendenti Angeli ponit 1. excubitorum per fulgurantem ideam Angelicam, & splendentem apparentiam, terriculamentum. 2. mulierum, & Discipulorum Christi firmamentum, conf. Matt. 28. 2. 3. 4. 5.*

§. 2. Firmamentum illud fuit: **CHRISTUS JAM RESURREXIT.** Quod ut ad evidentiâ sensualem constare posset mulieribus de removendo lapide sollicitis, proinde antequam accederent ad sepulcrum, non uti Chrysostr. statuit, dormientibus, & terræ motu ad sepulcrum Domini excitatis mulieribus, descendit in terrâ motu Angelus, revolvit lapidem, ipsasq; mulieres ingredi & vacuunt corpore Christi sepulcrum videre jubet: conf. Marc. 16. 3. 4. adeoq; jam resurrexerat Christus ante devolutum lapidem, & sessionem angelicam in lapide fulgurantem Matth. 28. 6. Resurrexerat sc. πρῶτον Marc. 16. 9. ante instans terræ motus, ante devolutum lapidem, quod factum demum orto sole, ut nefas sit, majorem potentiam adscribere Angelo: quàm gloriæ Domino.

§. 3. Pro motu corporis excellentissimè glorificati Christum penetrasse lapidem sepulcralem, venisse ad Discipulos τῶν θυγῶν κεκλεισμένων Joh. 20. 19. patet, quia corpora nostra glorificata, subtilitate, agilitate, claritate erunt *Angelis similia*. E. multo magis σῶμα δόξης Jesu Christi: quippe quod salvâ excellentiâ, exemplar erit μεταχηματισμοῦ, nostrorum corporum, ut hæc illi fiant σύμμορφα conf. Phil. 3. 21. Corpus sc. glorificatum est Spirituale 1. Cor. 15. 43. qualitativè. E. ut sic, naturæ legibus & obstaculis non subjectum: & adeo penetrare potest corpus naturale: conf. August. 13 de Civ Dei c. 23. comm. Damasc. Pelarg. l. 4. c. 28. Longè verò magis id competit majesticò corpori Jesu Christi, ut in illo habitavit omnis divinitatis plenitudo. Cyrillus Alexandrinus lib. 12. in Joh. c. 53. *Clausis foribus repente Dominus omnipotentia sua, nativè à rerum superatâ, ingressus est ad Discipulos.* Nullus ergò quærat, quomodo clausis januis corpus Domini penetravit, cum intelligat, non de homine nudo



iudo, ut modò nos sumus, sed de omnipotente Filio Dei hæc ab Evangelistâ  
conscribi. Nam, cum Deus verus sit; rerum naturæ non subiacet, quod in cæ-  
teris quoq; miraculis patuit.

§. 4. Obj. Corpus quantum non est penetrabile per corpus soli-  
dum Resp. Corpus quantum naturale quod attinet, conceditur: at non  
item corpus glorificatum & πνευματικόν; quale non subiacet regulis  
physicis. Obj. Quare ergò Angelus descendens devolvit lapidem? Resp.  
non ad resurrectionem Christi procurandam: sed ad eandem mulieri-  
bus evidentè, & quidem evidentia sensuali demonstrandam: & fidem  
resurrectionis potentèr in illis confirmandam: unde Angelus: Venite,  
inquit, videte locum, ubi positus fuit Dominus: ipsæq; Mulieres celeritèr  
egressæ de monumento Matt. 28. 6. 8. Ipse Petrus currens ad monu-  
mentum Ἐθαύψας βλέπει τὰ ὀθόνια, Luc: 24. 12 quod fieri non  
potuisset non devoluto lapide.

§. 5. Quod ergò Aretius putat Christum voluisse resurgere, prius  
aperto sepulcro per Angelum, id non tantum rationibus Evangelicis  
sed & antiquitati Ecclesiasticæ est contrarium: neq; enim solum ita sen-  
tit Hieronym. tom. 4. fol. 65. q. 6. ad Hedib. & Theophyl. ab Aretio  
in Matt. c. 28. p. 224. allegati: sed omnes ferè antiqui patres Justin. Mar-  
tyr. quæst. ad orthod. 117. Naz. in Dram. Christus patiens, Au-  
gust. Epist. 3. de Agone Christi c. 24. Serm. de temp. 156. 158. 159.  
160. Chrysof. hom. 2. de Joh. Bapt. in 20. Johan. Cyrill. l. 12. super  
Johan Hilar. l. 3. de Trinit. p. 29. Gregor. Hom. 26. super Matt. Euthy-  
mius in comm. Ambros. in Luc. 24. Bernh. Serm. paschi, pag. 165. cujus  
verba sunt: *Hunc lapidem magnum valde, factâ jam resurrectione Domini-  
câ devolvit Angelus, & resedit super eum. Constat proinde clauso exiisse tu-  
mulo redivivum corpus; quod clauso virginis utero natum processit in vitam, &  
ad discipulos clausis introivit januis in conclave.* Brevitèr contraxit Bern-  
hardus tres controversias ferè homogeneas 1. de resurrectione clauso  
sepulcro. 2. de nativitate Christi clauso virginis utero (quam & nos  
contra Sadeel. de ver. hum. nat. loc. 9. p. 198. Sohn. Tom. 2. p.  
385. liberè & piè credimus, cum patribus Cypr. Serm. de nat. Christi  
August. Ep. 3. 13. de Trinit. c. 18. tract. 121. in Joh. Serm. 14. & 158. de  
temp. Naz. in Dram. Chr. pat. Chrysof. hom. de Joh. bapt. Damasc.  
l. 4. orth. fid. non tamen ut articulum fidei propugnamus: conf. Chem.



Harm. Ev. c. 8. p. 172. Sohn. art. 3. de Christo p. 218. ) 3. *de ingressu Christi in conclave, clauso ostio* conf. Joh. 20. 19. & 30. Luc. 24. 36. Mar. 16. 14. unde territi discipuli, opinionem conceperunt de Spiritu Luc. 24. 37. ut frustra Calvinus exemplum Petri, qui e carcere egressus legatur, non tamen penetrasse fores, objiciat. Contrarium sensit Rupertus: nec ibi Act. 12. 6. 7. dicitur: *foribus clausis*. Sanè ante Calvinum, vix ullus aliter intellexit quam *Christum per fores clausas ad Discipulos ingressum fuisse*, quemadmodum & ex matre clauso exiverit utero, & ex sepulcro evaserit lapide nondum revoluto: ita enim sensit Justin. q. 117. Chr. hom. 2. de Joh. Bapt. & in c. 22. Joh. Hil. l. 3. de Trin. Aug. in 20. cap. Joh. Ambros. Serm. 10. in Pl. 118. Epiph. hæref. 64. G. Nazianz. in CHRISTO patiente: Hieron. in Epitaph. paulæ: Cyrill. 1. sup. 9. 3. alleg. Leo Serm. 1. de resurr. nec in mentem facile illis venit, tam impudentem reperiri posse, qui id negaret: unde nec ipsi contra Marcionitas ausi sunt negare minorem: sed pro concessio dederunt: Christum per januas clausas ingressum fuisse, quia 1. bis illud: *clausis foribus*, memoratur, sine mentione aliarum domus partium. 2. illud: *stetit in medio eorum*, signum est adventus subitanei, & extraordinarii. 3. Discipuli Spiritum opinati. conf. Gerhard. Harm. Evang. de ref. & asc. p. 252 153. Quid hic a. Calviniani? *Divinâ virtute aditus est patefactus* ait Calv. l. 4. Inst. c. 17. **FORTE fores cesserunt: FORTE Christus per fenestras aut tectum est ingressus** ait P. Martyr. in cap. 20. Joh. Fol. 1047. & Calvinus l. alleg. Rectius Lyra in c. 28. Matthæi ad v. 2. *Describitur hic Angelica apparitio non ad hoc, quod Angelus prepararet exitum de sepulcro Domino resurgenti: quia Christus exiit clauso sepulcro: sicut intravit ad discipulos januis clausis: sed ut ostenderet sepulcrum vacuum, & resurrexisse Dominum unde revolvit lapidem, ut ostenderet Christi resurrectionem completam.*

*Conclus. VI.*

**Gradus adscensionis Jesu Christi secundum humanitatem supremus, est Dextra Dei omnipotentis.**

*AN-*



ANTITHESIS,

Terminus ille ad quem, & residentia Christi, est  
 cœlum Empyreum, supra aerem, regionem  
 ætheream superlunarem & sphaeras celestes:  
 locus beatorum, spatium immensum luci-  
 dissimum, gloriosum, extra & supra hoc  
 cœlum spectabile, domicilium Dei, ange-  
 lorum & beatorum hominum, in quod ra-  
 ptus est Elias, de quo advenit Spiritus S. in  
 die Pentecostes. Ursinus explicat. Catechet.  
 p. 183. Extra cœlum, quod est systema omni-  
 um creatorum, intra concavum cœli con-  
 tentorum, Ubi certum ac Vacuum pla-  
 tonicum. Aretius probl. Theol. p. 63. Po-  
 lan. synt p. 243. l. 6. c. 25.

§. 1. Ascensio Christi vel consideratur resp. principii & medii, vel  
 respectu termini ad quem supremi: priori ratione, *sublationem dicit*  
*Christi ex terrâ in cœlum* gloriosum, sine respectu *sessionis ad dextram*:  
 posteriori, hanc habet, ut *differentiam specificam*, quippe per quam dis-  
 cernitur ab omnium Angelorum in cœlum ascensu. Solus quippe ad-  
 scendit super omnes cœlos, ad dextram patris, ut impleret omnia conf.  
 Hunn. l. de perf. Christi p. 30. &c. Chemn. de duab. nat. Chr. Pelargus  
 in præfat. in Damascenum.

§. 2. Cœlum illud, in quod adscendit ultimo Christus, esse *Creatum*  
*ortu tamen hyperphysico*, ait Zanchius tom. 3. l. 1. c. 4. p. 55. Timplerus p.  
 2. ph. p. 31. esse orbem ignis & lucis fulgore Empyreum, *continentem uni-*  
*versum mundum, & ultra omnes sphaeras extantem* Ursin. in comp. Theol.  
 Sohn. Martinius &c. Nos, illis opponimus 1. *Quod oculus non vidit*  
 &c. est Ubi ineffabile, & imperfecutabile 1. Cor. 2. 9. Esa. 65. 2. *Mun-*  
*dus & pars mundi interibit secundum substantiam* 2. Per. 3. 10. 3. omne  
 creatum.



creatum corporeum est subjectū vanitati Rom. 8. 20. Scatum tamen cœlestem, & certum ac interne circumscribens UBI, in quo & Christus est glorificato excellentissime (ita tamen ut hæc exserta gloria, quam semper habuit actu 1. *ἡ* *ἰσ* *ῆ* *ῖ* *ο* *υ* *ς* ejusdem generis cum aliorum beatorum gloria sit) corpore, & quod præparatum est illis qui diligunt Dominum, non negamus, Quæ formalis gloria non tollit naturam finitam; nec hujus ex-  
unionem hypostatica prærogativam.

§. 3. Non sufficit ad adscensionem Jesu Christi, eam definire, per penetrationem cœlorum inferiorum, donec perveniret ad summum, & hæc ratione veniret ad patrem: ad quem, vel latum ungvem à terrâ recedere opus haut erat: sed omnino includitur *exaltatio majesticæ*, ex unionis personalis œconomia & prærogativa: quia per illam excelsior cœlis factus Heb. 7. c. 9. *subjecit sibi Angelos, potestates, & virtutes* 1. Pet. 3. 22. 24. adeoq; non in externo illo elevati corporis Christi à monte ad usq; nubes spectaculo, nec in mutato beatitudinis statu: sed in sublimi *exaltationis actu, & erectione ad cœleste imperium*, formam seu differentiam specificam adscensionis Jesu Christi ponimus, localem & visibilem illum motum in principio non excludimus. Obj. Ephes. 4. 10. Heb. 7. 26. *Ascendit super omnes cœlos.* Resp. 1. E. & super illud creatum empyreum, super cœlum, qui est locus & extra quem non est locus, 2. si est excelsior cœlis factus. E. & Empyreo. 3. Loca illa non dicunt *sublimitatem localem: sed majesticam*, quod docet adjuncta modificatio: **UT IMPLERET OMNIA.** Terminus ergo adscensionis est *Tronus majesticæ in cœlis* Heb. c. 1. 13. c. 8. 1. c. 12. 2. cui *ἐν δεξιᾷ Virtutis sc. & majesticæ infinitæ, æternæ* Heb. 1. 3. insidens, *omnia implet Christus, præsentèr ac plenariè potenter regnans in toto mundo, gratosè in Ecclesiâ, gloriosè in cœlis.* Neq; enim omnia implet præsentia corporali: sed *παινοῦσιν* & personali.

*Conclus. VII.*

**CHRISTUS unâ: non geminâ sessione, eaq;  
tantum secundum naturam humanam se-  
det ad dextram Dei: nec orthodoxè dicitur  
Filium Dei ante incarnationem semper ad  
dextram**



dextram Dei patris sedisse: post incarnationem autem & humiliationem sedere cœpisse, ut Deum in carne.

ANTITHESIS.

1. Christus corpore existit sursum & in cœlo, tanquam in arce suâ regiâ residens. 2. Totus Christus Θεανθρωπος sedet ad dextram Patris secundum utramq; naturam. 3. Secundum divinam, quatenus ad pristinam glorificationem rediit. 4. Secundum humanam, quatenus novam eminentiam, nunquam antea hujus respectu habitam, acquisivit. 5. Christus secundum divinam naturam sese exinanivit & exaltatus est. Polan. l. 6. c. 26, p. 256. Wendelin. p. 302. Aretius probl. Th. de corp. Chr. p. 62. 63. confid. comm. p. 678. Sohn. Exeg. Conf. Sadeel. & c. Zanch. tom. 8. op. Theol. 2 p. 192. 193. 194.

§. I. Cum jam per dies 40. Discipulis, ἐν πολλοῖς τευμηροῖς ὀπτανόμενος, & συναλιζόμενος, gloriosus salvator, ipso quadragésimo post resurrectionem die, eduxisset Discipulos foras, in Bethaniam, cernentibus illis, in cœlum, evehctus est Act. 1. 2 9. Luc. 24 51. Marc. 16. 19. qui solus omnium Evangelistarum cum adscensione Christi in cœlos, sessionem ad dextram Patris conjungit: DOMINUS assumtus est in cœlum (eadem virtute, quâ suscitatus à mortuis) & sedet à dextris Dei. Licet autem quomodo & an tanquam Deus, an ut homo Christus ad dextram Dei sedeat Cyrill. cat. 14. inexplicabilem putet esse, quæstionem, tamen quid sit sedere ad dextram Dei, prælucente verbo

E

Απο



Apostolico explicare possumus 1. Cor. 15. 25. ut inepte *Maldonatus*, com. in c. 16. Marci: *Sedere*, dicat, esse quiescentis, & infirmi, langvidi, aut lapsi potius: quam perfecti & valentis, item *sedere ad dextram* Filio tribui resp. Majoritatis quam habeat Filius præ patre, & Spiritu S. in actu exercito regalis officii, quam tamen tefin & Scripturæ & puriori antiquitati contrariam nec ipse potuit *Φυλάττειν*. Nos *sessio nem secundum solam humanitatem probamus*. 1. ab ordine artium ulorum *fidei*. 2. à testimonio Christi Matt. 26. 64. AB HOC TEMPORE videbitis FILIUM HOMINIS sedentem à dextrâ potentia Dei, & VENIENTEM IN NUBIBUS. 3. à testimonio Apostoli. *Tantò melior effectus ANGELIS* &c. Heb. 1. 3. 4. ex dono gratiæ Phil. 2. 6. 5. Regulâ antiquitatis orthodoxæ: *Quæcumq; in tempore CHRISTO dicuntur data, secundum humanam naturam sunt intelligenda*. 6. Sedere ad dextram patris explicat *Calvinus*. l. 2. Inst. c. 16. §. 15. per: *recipi in dextram patris, & cæli ac terræ Dominio inaugurari, ut ejus majestatem tum cælestes, tum terrene creaturæ suscipiant, & ejus virtuti subiecti sunt, exaltari ad præsidendam cælestis tribunalis*, quæ in tempore facta, non conveniunt Christo, nisi secundum humanitatem. 7. Christus, quâ divinitatem: concipi non potest *sedere ad dextram patris*, magis post quàm ante ascensionem: quia & *æqualitatem, & regnum* habuit ut Deus, *מקדם מימי עולם*. Inst. Etiam ut homo erat evectus ante ascensionem, quia erat unitus. Resp. aliud est majestatis acceptio: aliud ad dexteram majestatis, super omne, quod nominatur non tantum in hoc: sed etiam in futuro seculo exaltatio: illa incepit in conceptione: hæc in ascensione super omnes cælos: illa, etsi majori ex parte occultata & quasi dissimulata, cum statu humiliationis consistibilis fuit: hæc statum illum excepit. conf. Form. Concord. p. 772. 774. 779. Inst. Christus secundum humanitatem non habet æqualem majestatem cum divinitate. Resp. habet eandem æqualem majestatem: sed non æqualiter seu sub eadem ratione: quia Divinitas per naturam: humanitas illam habet per gratiam. Errant ergo Calviniani & cum his quidem pontificii.

§. 2. Pro unâ sessione urgemus 1. Una tantum est *παπείνωσις* ἢ *κένωσις*. E. una tantum *ὑπερύψωσις*. 2. Unius tantum sessionis Scriptura meminit. 3. Una tantum est *dextra*. Una tantum *Majestas*, unus *tronus*. E. & una tantum *sessio*. 4. Divinitas est *immutabilis*.

E nec



E. nec exaltabilis. Præclare *Cyrillus Alexandrin.* in thesaur. l. 8. c. I. ad objectionem Eunomii, quæ hæc erat: *Exaltatus à Deo & glorificatus, ac ex gratiâ nomine super omne nomen donatus, non potest esse Deus, aut Dei filius. Christus est exaltatus &c.* E. respondet: *Verbum, quod semper in principio erat apud Deum, & verus Deus, in extremis temporibus propter salutem nostram verus homo factus, humiliavit seipsum, & ideo dicitur exaltari, non secundum verbi naturam: sed secundum incarnationis mysterium.* Nam cui humilitas congruit, hic exaltari quoque dicitur, quia quod exaltatur per donum Dei, humile per suam naturam est, & ab inferioribus ad superiora traducitur congruenter. *Humana verò natura res humilis est, ipsa ergò exaltari quoque intelligitur. Nunquam enim de verbo Dei tale quid in scripturis invenimus, nisi secundum quod factum est caro & habitavit in nobis. Si ergò secundum assumptum hominem humiliatio facta est, secundum assumptum quoque hominem necessariò facta est exaltatio.* Addit loca Heb. 9. 24. & Pl. 24. 7. *Non opus erat Christo sicut Deo: sed sicut homini portas cælorum aperiri. Quamvis enim semper altissimus ut Deus sit, tamen, ut homo, propter nos exaltatur, ut in ipso nos quoque exaltemur, & ita reformaret nos in seipsum. Altissimus Dei filius semper est ut Deus, exaltatur, ut homo. Nullius indiget rei ut Deus: multa tamen, ut homo accipit. Adorabilis semper ut Deus, nunc adorari incipit ut factus homo. Qui vita est ut Deus, mortuus est ut homo. A se ipso ut Deo, ipsemet accepit, ut homo.*

§. 3. *Obj. Christus secundum divinam naturam regnat. E. & sedet ad dextram Dei:* quia illud SEDERE est REGNARE I. Cor. 15. 25. Resp. ad anteced. ex omnipotentia naturali: non gratiâ & dono per unionem personalem. *Ut homo per gratiam à Deitate accepit æquè, quod ut Deus naturalitèr habet,* ait *Cyrillus. Obj. Regnare est officialis operatio Resp. Officium, & operatio est totius personæ: at ita, ut VIS operandi Christo secundum naturam divinam competat per essentiam: secundum humanam, per Unionis gratiam & sessionem ad dextram Dei. Adde, quod gloriam divinæ naturæ, à sessione ad dextram, IN TEMPORE FACTAM, dependentem statuere, sapit Arianismum.*

§. 4. *Gloriam verò illam infinitam & increatam esse probatur 1. à trono majestatis in excelsis Heb. 1.3. c. 8. 1. 2. à Coronâ gloriæ honoris cujus perimenter omnia includit ut subjecta, præter solum Deum Pl. 8. 6. 7. I. Cor 15. 27. Heb. c. 2. 8. 3. à supplicatione Christi Joh. 17. 5. 4. à*



descriptione adscensionis Christi Eph. I. 21. Obij. *Si sessio est causa. E. non unio personalis.* Resp. unio est causa communicationis: sessio illa, plenariæ usurpationis.

§. 5. Impia est sententia Calvini, de *sessionis hujus ad dextram Dei duratione*, cujus terminum ponit in consumatione seculi: ita ut post hanc non amplius sit *futurus Mediator*, s. *sancturus Mediatoris officio*: Sedere ad dextram, ait, temporale est, donec præsentis divinitatis aspectu fruamur: *regnabit Christus, donec prodierit mundi iudex*: Ubi confortes cœlestis gloriæ Deum videbimus, qualis est, tunc *persunctus Mediatoris officio &c.* imperium patri reddendo, *longè clarior eminebit.* Conf. illa l. 2. Inst. c. 14. §. 3. Contra 1. *Christus est Sacerdos in æternum.* E. & *Mediator* Pl. no. 4. 2. *Domini nomen*, ait Calvin. l. alleg. *respicit temporale imperium, quod Christo à Patre est mandatam, donec facie ad faciem conspicua sit divina ejus majestas.* E. Christus una cum seculo confirmato desinet esse *unus Dominus*: velerunt. 2. Domini contra *Apostolorum* illud: 1. Cor. 8. 6. Obij. *Tradet regnum Deo & patri* 1. Cor. 15. 24. Resp. pro modo sc. regni militantis, quod uti *ab hostibus* oppugnatur: ita à Rege propugnatur: qualis modus non erit, ubi facta erit traditio.

## ARTICULUS VI.

DE

# BAPTISMO.

Conclus. 1.

Baptismus aquæ necessitate non quidem absolutâ: sed ordinatâ & ex præcepto seu instituto divino, spiritui subordinatâ, organicâ, adeò est necessarius ad salutem, ut qui ex aquâ & spiritu regeneratus non fuerit, ordinariè regnum Dei intrare non possit.

AN-



ANTITHESIS.

Errant ergò Calviniani, dum (ex hypothesibus 1. absoluti prædestinationis decreti. 2. analogiæ & substantiæ Sacramenti in SIGNIFICANDO duntaxat positi. 3. non regenerantis baptismi. 4. sanctitatis fœderalis con-nata. 5. negata in infantibus fidei salvifica. 6. absentis rei celestis. 7. baptismi sine suppositâ fide non operantis. 8. baptismi duplicis) substantiam, efficaciam, & necessitatem baptismi, in ordine ad salutem, cum Anabaptistis & photinianis labefactant, conf. Calvin. l. 4. Inst. c. 15. §. 20 Beza, qui aquæ Sacramentali latentem virtutem (e. c. regenerandi) tribuere manifestam dicit Idololatriam Act, Coll. Momp p. 433. 434. & seqq. Quæst. & resp. part. 2. & ep. 8. Amel. in Bellarm. enervat, Tom. 3. p. 46. 52. &c.

§. 1. Probatur conclusio superior hoc argumento: Ubiunq; Christus jurat, & quidem duplici AMEN, ubi addit exclusivam NISI QVIS, & impossibilitatem exprimit, cum comminatione æternæ pœnæ, ibi omnino necessitas ordinariè summa inculcatur. At illud fit Joh. 3. 3. NISI QVIS REGENITUS fuerit ex Aqua & SPIRITU, NON POTEST INGREDI in regnum cœlorum. E.

§. 2. Excipit Calvinus i. Spiritum esse Aqua exegeticum. Resp. 1. E. πανλογία manifesta sc. NISI QVIS REGENITUS FUERIT ex Spiritu & Spiritu. 2. Quæstio erat de Baptismo aquæ, qualem tunc ad Jordanem administrabat Johannes Baptista conf. Matt. 3. Luc. 3.



Lac. 7. 30. 3. conf. Eph 5. 26. Tit. 3. 5. Excipit 2. Calvin. ibid. 1. 4. Inst. c 16. §. 15. Matt. 3. 11. *Baptizabit vos Spiritu & igni: ubi ignis est exegeticum Spiritus.* Resp. in Baptismo illo Pentecostali verè & Spiritus S. fuit, & ignis, quatenus *visa sunt Apostolis dissecta lingua ignea, & sedis Spiritus S. super singulos illorum Act. 2 3. 4.* E. in regeneratione illà verè & *Aqua est & Spiritus.*

§. 3. Urgemus præterea fundamentum necessitatis baptismi, quod est *medium regenerationis* sc. ex hypothesi *κληρονομίας ζωῆς αἰωνίου.* Necessè est ex carne natum iræ filium, renasci seu regenerari: Atq; omnes sunt ex carne caro nati, & iræ filii. E. omnes oportet renasci: & adeò baptizari: quia baptismus est *lavacrum regenerationis* Tit. 3. 5. unde expressè Christus: *Qui crediderit, & BAPTIZATUS FUERIT, salvabitur* Marc. 16. 16. & Petrus: *Agite poenitentiam & BAPTIZETUR UNUS QVISQVE vestrum in nomine Jesu Christi in remissionem peccatorum.* Act. 2.

§. 4. Signanter in Tesi diximus, *Baptismum necessarium* ut medium ad salutem, non *necessitate absolutâ*: sed *ordinatâ*: in casu enim necessitatis misericorditè dispensare Deum, vel exinde apparet, quod cum Marci 16. 16. dixisset: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit,* ne quis existimaret, per determinationem baptismi, ut *medii regenerationis ordinarii*, ita obligari Deum, ut *absq; eo salvare hominem non possit,* & propterea infantes omnes in Ecclesiâ nati, si *vel in partu, vel statim à partu moriantur,* damnandi sint, ipsaq; *negatio baptismi certum & ἀπόλυτον* argumentum perditionis, (quæ, uti & altera sententia *absolutæ necessitatis Eucharisticæ etiam infantibus dandæ* per aliquot secula applausum habuit, uti illa etiamnum habet apud pontificios) idcirco in ponendo antitheto, *solius fidei* non etiam *baptismi* meminit: *Qui non crediderit condemnabitur.* Nostrum tamen est *divino mandato de administrando baptismo,* ubicunq; ejusdem *substantialia* haberi possunt, obsequi: licet non sit *necessitas resp. Dei,* ita ut *citra illum in casu necessitatis* regenerare non possit.

#### Conclus. 11.

Baptismus aquæ non signum; sed efficax regenerationis nostræ est medium & instrumentum.

AN.



Nec baptismus aquæ est lavacrum per quod regeneramur: nec pueri vel omnes vel aliqui in illo Baptismi momento regenerantur Conf. Calvin. l. 4 Instit. c. 15. §. 1. & §. 22. Ursin. in expl. Catech. p. 503 Orth. Conf. p. 325. Beza part. 2. Quæst. & Resp. Coll. Mompelg. item in præf. resp. ad acta Coll. Momp. p. 20. & 22.

§. 1. Probatur thesis 1. ex apertis scripturæ dictis. Marc. 16. 16. Matt. 18. 6. Joh. 3. 5. 1. Pet. 3. 21. Eph. 5. 26. Tit. 3. 5. Act. 22. 16. 2. ex typis Num. 19. Lev. 14. 2. Reg. 5. Exod. 15. & 40. Objicitur à Beza p. 20. præf. ad Act. 1. *Mundare à peccatis est effectus sanguinis Christi. E. non baptismi: nec ministri.* Resp. Subordinata & Sacramentaliter copulata, non sunt pugnancia. Effectus ille fluit à *Sanguine Christi*, ut *causâ principali: à baptismo aquæ*, ut *instrumentali* ordinatâ, ita ut hujus ordinaria administratio pertineat ad *ὁμοίους μυστηρίων Θεοῦ*. Obj. 2. E. *desigendi oculi in terrestre elementam.* Resp. per symbola corporea *sum corda*, ad illa quæ per *visibilia signa* offeruntur & applicantur cœlestia bona. Obj. 3. E. *salvat ex opere operato.* Resp. Neg. Conseq. quia *baptismus aquæ non salvat, mundat Φοσιῶς*, per se: sed *ὁργανικῶς ὑπερΦοσιῶς*: nec inter vim regenerandi & aquam baptismi est *naturale vinculum: sed sacramentale mysterium*. Licet autem *opus operatum* admittere possimus resp. *sacramentalis substantiæ*, & hîc excludamus *intentionem ministri, qualitatem baptizantis, fidem baptismum admittentis*, nequaquam tamen admittimus, *respectu fœderalis & regenerantis gratiæ*, ubi idem obtinet, quod de verbo prædicato meminit Apostolus Heb. 4. 2. Notetur hîc palpabilis contradictio Beza: p. 20. & 22. 1. *Si Baptismus uterq; conjungatur, anathema sit!*, qui negaverit esse *regenerationis lavacrum*. 2. *Nulli infantes vel pueri in baptismo regenerantur: sed quotquot ex illis sunt electi, beneficium regenerationis suo tempore conse.*



consequuntur ex verbi auditu. Et tamen quidam infantes accipiunt integriorem baptismum, quia illis obsignatur adoptio ibid. p. 22. E. idem baptismus erit lavacrum regenerationis: & non erit.

*Conclus. III.*

Baptismus Sacramentalis non est nisi unus numero: qui re externâ, Aquâ, & re internâ, Spiritus regenerantis virtute constat.

*ANTITHESIS.*

Baptismus est duplex: unus interior, qui fit per asperisionem Sangvinis Jesu Christi: alter exterior, idemq; interioris significativus & repræsentativus, qui fit elementari aquâ, Beza præf. Resp. ad acta p. 20. & part. 2. Resp. ad Acta à p. 60. Act. Coll Momp. p. 434. 446.

§. 1. Expresse Apostolus: UNUS est BAPTISMUS Eph. 4. 5. at an tam evidenti *Unitatis professioni* contradicunt Calviniani? Sanè ex nostris quoq; non defuerunt, qui baptismi *externi & interni* sæpe mentionem faciunt: sed non in sensu Calvinistico, qui discernunt baptismos 1. *efficiente & administrante*. 2. *mediis*. 3. *subjectis quò & quod*. 4. *sine*. 5. *temporum intervallis*: quæ omnia, duplicant Sacramentalem baptismum. Sic inter *baptismum efficacem & non efficacem* longè alio sensu distinguunt Calviniani, quàm nostri: aliud illi, aliud nostri vocant rem *Sacramenti*.

§. 2. Cæterum dum duplicem baptismum credunt, nullum credunt. Sacramentum omne constat re duplici *terrestri & cælesti*, idq; *conjunctim*, non *disjunctim*. At Calvinianorum *baptismus externus* non constat *re cælesti*, nec *internus re terrestri*. E. nullus apud Calvinianos *baptismus*. Sic baptismus *exterior Aquæ* Calvinianis nullo modo est *lavacrum regenerationis*: uterq; autem *& interior & exterior* conjunctus,



non est lavacrum regenerationis, nec obsignat regenerationem in infantibus: quia, uti Beza expressè, nulli infantes per baptismum regenerantur, nec baptismus est obsignatio regenerationis in pueris: nec in adultis, quippe qui jam sunt regenerati, antequam baptizantur. E. Baptismus Calvinisticus sive interior, sive & exterior & interior non est baptismus regenerans. Agnoscimus quidem, in baptismo dari distincta: sed non distinctos baptismos.

§. 3. Objicitur. In baptismo aquæ tantum fit depositio sordium. E. est mere externus. Resp. Falsum antecedens. Expressè Apostolus: BAPTISMUS NON EST DEPOSITIO SORDIUM CARNIS &c. 1. Pet. 3. 21. Obj. Effectus ille est Sangvini Christi. Resp. sed applicatur mediante lavacro aquæ in verbo.

#### Conclus. IV.

Non corporalis: sed spiritualis natiuitatis virtute, fiunt Christiani & Dei filii, quæ spiritualis natiuitas juxta dispensationem ordinariæ gratiæ in infantibus omnibus fit per baptismum, per quem fiunt filii gratiæ, quia antea erant filii iræ.

#### ANTITHESIS.

1. Christianorum liberi, antequam baptizentur, jam sunt Dei filii, non minùs: quàm nos: habent Spiritum S. nec baptizantur, ut incipiant esse filii Dei: sed quia pro talibus ante baptismum habentur, Calv. l. 4. Inst. c. 15 §. 22  
2. nulli infantes per Baptismum regenerantur: sed ex verbi auditu in ætate adultâ.  
3. nulli  
F intan-



infantes per Baptismum adoptantur: quia  
 quotquot sunt adoptandi, jam ante bap-  
 tismum sunt adoptati & Dei filii ex formulâ  
 fœderali: Ero Deus tibi & semini tuo. Cui  
 ergo bono Baptismus? Beza Quæf. & resp.  
 Aretius in prob. Ames, in Bell. enerv.

§. 1. Nos thesaurum superiorem probamus ex Ephes. 2. 3. Gen. 5. 3. col-  
 lato cum Joh. 3. 16. 1. Cor. 15. 50. Joh. 1. 13. c. 3. 5. Pl. 51. 7. Excipi-  
 unt. 1. *fœderalis sanctitas non est internâ.* Resp. 1. *Esse membrum Chri-  
 sti, Filium Dei,* est omnino sanctitas internâ. 2. Sanctitas fœderalis, vel  
 dicitur aditum ad fœdus, eumque magis occasionatum (& hoc sensu nulla  
 inter nos est controversia) vel dicitur ipsum fœderalem actum, ita ut jam  
 sint in fœdere, & Filii Dei ex adoptione & hoc sensu à nobis negatur  
 quæstio. Excipiunt 2. Sanctitas illa dependet à prædestinatione Resp.  
 1. E. non à parentum sanctitate, vel 2. E. *nulli infidelium liberi essent  
 prædestinati*: nulli fidelium liberi, reprobat, & sic nec reprobis fuis-  
 set Esavus, quem tamen non prædestinatorum classi adscribunt, & in  
 infernum relegant omnes Calviniani. Excipiunt. 3. *Nasci quidem  
 Sanctorum liberos cum peccato materialiter: at non formaliter*: quia non  
 imputatur. Resp. *Cui non imputatur peccatum, non est ira filius: sed  
 jam beatus, justificatus.* E. infantes jam sunt beati & justificati, antequam  
 sunt baptizati.

§. 2. Obijciunt Gen. 17. 7. Resp. Fœdus illud non sumendum in  
 actu *diviso*: sed *composito*, quod docet respectus pronominum  
 אֲנִי v. 4. & אֲנִי v. 9. Deus ergo est Deus Abrahami, & seminis ejus  
 cum hac conditione fœderali, ut circumcidatur omne masculum. Obj.  
 Act. 2. 39. *Vobis est promissio illa & liberis vestris, &c.* Resp. ex v. 38. ubi  
 præmisit Petrus: *μετανοήσατε καὶ βαπτισθήτω ἕκαστος ὑμῶν &c.*  
 Ordinariè ergo credentium liberi à Deo recipiuntur in gratiam, si per  
 ordinatum regenerationis Sacramentum intuentur Christo. Uti enim  
 in nativitate corporali implicat *filiationem dare ante regenerationem*:  
 ita in Spirituali nativitate implicat, cum Bezâ dicere: *Baptismum obsequare  
 in infansibus adoptionem, non regenerationem*: & adeo ponere *adoptionem  
 ante*



ante regenerationem. Obij. *Fides parentum apprehendit rem promissam.*  
Resp. 1. illo modo, quem proposuit Deus, sc. ut baptizentur in nomen  
*Jesu Christi.* 2. fides parentum non impetrat salutem liberis, nisi qua-  
tenus impetrat illis fidem salvificam, ut ita sua fide vivant 1. Joh. 5. 16.  
Rom. 1. 17. 18.

§. 3. Obij. *Liberi sunt Sancti* 1. Cor. 7. 14 Resp. Ambros. & Ansel-  
mus, *Sanctor* explicant, i. e. non spurios. Instant. E. nihil plus tribuit  
Apostolus liberis fidelium, quam infidelium. Resp. quaestio erat, an  
*conjunctio infidelis cum fidei sit conjugium?* Affirmatur: quia liberi ex tali  
conjunctione geniti sunt Sancti: & haec id probari potest, unde  
& ipse Amelius: *Talu*, inquit, *intelligitur Sanctitas liberorum, quae confir-*  
*met sanctificationem conjugii parentum, quae non est in liberis ex scortatione*  
*susceptis.* Coeterum, cum Apostolus per demonstrationem *oti* seu quod,  
probet Sanctitatem conjugii, ita ut *pars infidelis, sanctificetur per fide-*  
*lem*, proinde id non sufficit: poterat enim & fidelis illicite *συνδύαξεν*,  
& ex fidei nasci spurios. Igitur rectius Hieron. & Tertull. de *possibili &*  
*maximè occasionata consecratione & regeneratione per baptismum, ac*  
*educatione in timore Dei* explicant, quae non ita est in liberis infidelium,  
quam fidelium. Inst. *illa sanctitas etiam locum habet in liberis ex scorta-*  
*tione susceptis.* Resp. Uti conjugium vel utriusque vel alterutrius partis  
fidelis conjugio infidelium: ita liberi ex fornicatione suscepti inter  
Christianos, & a professione Christianis, opponendi sunt spurii infideli-  
um, quae ratione & spurii Christianorum habent antecellentiam pra  
spurii infidelium (habent enim jus & aditum ad rem: etsi non sunt in re  
seu ipsa filiatione: nec ita actu 2. semper obtinent, ut nati ex legitimo  
conjugio, cum passim vel in ipso utero, vel in furtivo partu matrum  
meretricum miscelli experiantur infandam barbariem, impediendem  
illum ad bona Ecclesiae seu Sacramenta aditum) uti *οι πατερες και μη-*  
*τερες εν γενοντες* a Christianis, habent antecellentiam pra legitimis  
paganorum, & infidelium: Sane *Jephthe* spurios orat, & *filiolus Davidis ex*  
*Bathsabe adulterio natus*: uterque tamen sanctus Jud. 11. 1. Heb. 11. 32. ipseque  
David adulter, (non item infidelis e. c. Orestes adulter) Sanctus, quatenus  
aditum habebat & januam ad gratiam amissam per poenitentiam.  
Sanctitas ergo haec stare potest cum infidelitate vincibili, licet hujus  
respectu non dicantur sancti: sed resp. salutis possibilis & occasionata  
magis



magis, quatenus per occasionem & jus in re, fidelis potest *σώζειν* infidelem. conf. v. 14. 15. 16.

§. 4. Instat Amesius: *Conjux infidelis sanctificari dicitur, non simpliciter: sed quoad conjugium: liberi autem fidelium absolute & in relatione ad Deum.* Resp. falsum prius. Expressè textus: *Τί οὐδὲς ἄνεγ, ἐὶ τὴν γυναικα. σώσει.* Instat: *Conjux infidelis propter fidem, non est capax baptismi: at tales sunt liberi fideles.* Resp. com. Fall causæ: quia enim conjux infidelis adultera est, debet prius doceri, quàm baptizari: habet ergo propter fidem, aditum magis occasionatum per fidem ad baptismum: uti infans fidelium, per baptismum ad fidem.

§. 5. Objicitur argumentum Apostolicum à radice sanctâ ad ramos sanctos Rom. 11. 16. Resp. Si de Sanctitate filiationis internâ fœderali, sequeretur omnes reprobos Judæos esse Dei filios, esse regenitos, imò omnes Judæos esse ad vitam æternam electos. 2. agit ergo textus de Sanctitate, quæ dicit possibilitatem conversionis, & in Ecclesiam infertionis, quia non cum patribus saltem: sed & cum posteris pactum pepigerit Deus.

*Conclus. V.*

**Efficacia Baptismi formalis prima, & ordinaria non antecedit Baptismum infantium, nec subleqvitur demum: sed est in ipso baptismo, quo mediante infantibus fides quâ meritum Christi apprehendant, & salventur, donatur.**

*ANTITHESIS.*

**Baptismi efficacia, ad id momentum, quo homo baptizatur, non est adstringenda (Beza coll. Mompelg. p. 370.) quia infantes propriâ fide carent (Beza ibid. p. 377.) Deus quibusdam in baptismo primam gratiam quæ est principium fidei, & eandem relationem ad**



ad Deum in Christo constituit, cum fide actuali, infundit: baptismus autem externus **NULLO MODO** habet in sese externam gratiam. Deus igitur potest vel ante, vel post baptismum eandem communicare gratiam: fides quæ requiritur ad baptismum debet antecedere baptismum: non per eum infundi. (Ames. in Bell. enervato tit. de baptismo p. 52.)

§. 1. Impudentissimè olim Beza Tübingensibus hæc paradoxa attribuit: 1. Omnes etiam hypocritæ ad baptismum accedentes regenerantur. 2. Infantes *jam tum* fide sunt præditi, cum ad baptismum afferuntur p. 21. præf. §. 3. omnes fidelium infantes re ipsa fide in ipso matris utero donantur. Mendacia & crassissima hæ sunt calumniæ, quas nunquam nostræ docuerunt Ecclesiæ: sed talibus mendaciis, uti & aliis de crassa & Capernaiticâ sarcophagiâ, ubiqvitate absolutâ expansivâ, extensivâ, diffusivâ &c. onerare nostros, indoles est spiritus Calvinistici. Notamus, uti in articulo de *Majestate Christi & communicatione Idiomatum*: ita & hic evidens est Syncretismus Calviniano-Papisticus: unde & Amesius l. alleg. *In questione, inquit, de fide parvulorum, quæ requiratur in baptismo, nulla controversia formatur à Bellarmino quæ nos attingit: idemq; in Bellarmino saltem, ut dubiè dictum, notat 1. Infantes non justificantur sine ullâ fide: quod & suorum, & ipsius Bellarmini hypothese, de opere & operato excludente fidem ab efficientiâ gratiæ Sacramentalis sit contrarium: putat ergo Amesius ponendum: Infantes qui baptisantur baptismo efficaci, justificantur quidem sine fide actuali: at non sine gratiâ, quæ est principium fidei. Posuerat Bellarminus 2. Infantibus in Baptismo infundi habitum fidei. Respondet Amesius: Deum quibusdam (infantibus) habitum vel principium gratiæ infundere, non negamus: omnibus enim baptizatis infantibus istum habitum non infundi experientia probat. Negat sc. utraq; pars FIDEM actualem: Calvinismus autem omnem fidem infantium, nec admittit, nisi gratiam, quæ aliquando sit*



*principium fidei, & illam quidem gratiam ALIQVIBUS saltem INFANTIBUS baptizatis, nec his præcisè in baptismo: sed post hunc demum conferri. Junius quidem paulò mitius videtur sentire, quando in thes. Theolog. p. 1735. Fides, inquit, est accidens inseparabile fœderati seu baptizandi: at statim addit: Infantes actualis fidei non sunt capaces nec habent fidem, nisi in actu 1. in principio habitus quod ad categoriam totius referri debet.*

§. 2. Sacramenta non profunt *sine fide accipientis*. Fides ergo in baptismo infantum est id, quod primo idq; ex opere operato, efficit gratia sacramentalis: quâ fide suppositâ, apprehenditur Christi meritum, & donatur salus æterna. At in scholâ Calvinianâ ex duabus hypothesibus Calvinianis sc. 1. *Fidem esse formam sacramenti*, ita ut qui fidem non habeat, ne essentiam quidem Sacramenti habeat. conf. Calv. l. 4. Inst. c. 15. §. 15. 2. *Infantes non habere ipso actu fidem salvificam*: sequitur necessitate syllogisticâ. E. *infantes nec salutarem accipiunt baptismum, nec ipsum baptismi Sacramentum*. Et sic ruit pædobaptismus: ac evidens quoq; est Syncretismus Calvin-Anabaptistico-Papisticus.

§. 3. Pro conclusione nostrâ urgemus 1. *Infantes baptizati salvantur*. E. credunt Joh. 3. 17. Marc. 16. 2. *Placent Deo* Mat. 18. E. habent fidem Heb. 11. 3. *Baptismus est lavacrum regenerationis*. At non regeneramur, nisi suppositâ fide. Tit. 3. 5. 4. *Infantes vincunt mundum*. E. credunt conf. 1. Joh. 5. 3. 4. *Actualem autem fidem dicimus non, tam respectu operationum εἶναι: quam εἶναι, qualis operatio est apprehensio meriti Jesu Christi*.

§. 4. Obj. 1. *Fides est ex auditu*. Resp. 1. ex auditu materialitèr. 2. In adultis, in quibus Sacramentum obsignat fidem & justificationem, suppositam. Obj. 2. *Infantes nondum capaces sunt illuminationis & mysteriorum fidei cognitionis*. E. nec regenerationis & fidei. Resp. 1. Ab ignorantia modi, quo cognoscunt & assentiuntur, ad negationem rei ipsius cognitionis & assensus non valet consequent. 2. Illuminatio illa est supernaturalis: non ergo ex ratione & ætate mensurabilis: unde plurimi, utraq; hæc pollentes, sunt sine fide. Obj. si illuminati fuissent internâ cognitione Jesu Christi infantes, illius memoriam circumferrent adultiores. Resp. N. C. Memoratio præteriti accidens est: & Johannes Baptista 30. annorum ignoravit individualitèr Christum, quem



ἔνθεν ὁ κριτισμὸς ἐν ἀγαλλιᾶσει nondum natus, ipse nondum natus  
 agnoverat, conf. Joh. 1. 31. 33. 4. Illi, qui potest super omnia agere abun-  
 dantèr, supra quàm petimus, vel intelligimus, secundum potentiam, quæ operā-  
 tur in nobis, ei sit gloria in Ecclesiâ, in Christo Jesu εἰς πᾶσας τὰς γενεὰς  
 τοῦ αἰῶνος τῶν αἰῶνων. Ἀμήν Eph. 3. 20.

Conclus. VI.

Materia Baptismi terrestris, non est, nec esse de-  
 bet, nisi naturalis, vera, & genuina aqua, sive  
 fluminis, maris, fontium, stagnorum, per-  
 inde est; unde in casu necessitatis, præstat  
 sola commendatio infantis per preces apud  
 Deum: quàm aliud substituere elementum.

ANTITHESIS.

Ego certè (si desit aqua) quovis alio liquore, non  
 minùs ritè, quàm aquâ baptizaverim, Beza.  
 Ep. 2. p. 22.

§. 1. Ex hypothesi sacramenta esse nuda signa significantia in duos con-  
 trarios errores prolapsus est cum sociis Beza: unus quod Baptismum,  
 velut actum potestatis, solis ordinarius ministris, nullo excepto casu neces-  
 sitatis, alligaverit part. 2. quæst. & resp. quæst. 140. Calv. l. 4. Inst. c. 15.  
 alter: quod ipsa substantialia mutari posse, in casu necessitatis, non cru-  
 buerit dicere. Contra 1. scriptura non nisi AQVAM inculcat, tum  
 in instituto Joh. 3. 5. tum in exemplo Joh. 1. 33. Actor. 8. 38. c. 2. 41.  
 & c. 10. 47. 2. Expressè baptismum Lavacrum Aquæ in verbo vocat  
 Eph. 5. 26. 3. conf. 1. Pet. 3. 21. Exulet ergò à Baptismo, vinum, lac, mel, &  
 quivis alius liquor, ac retineatur naturalis aqua: quæ ubi haberi non po-  
 test e. c. in mediterraneis quibusdam Africa, vel suspendatur, vel inter-  
 mittatur baptismus.

AR-



## ARTICULUS VII.

*De Venerando*

# COENÆ DOMINICÆ SACRAMENTO.

*Conclus. 1.*

Objectum manducationis, & bibitionis Sacramentalis, his in terris, quæ utraq; tamen seorsim fit ore corporis, ex principio institutionis, est ipsa substantia physica corporis Christi cum pane, quæ accipitur ab omnibus communicantibus, & Sangvinis Christi cum vino, qui actu ipso in ora omnium communicantium effunditur, etiam illorum, apud quos effectus salutaris, à Deo, mediante Sacramenti naturâ intentus, non obtinetur.

*ANTITHESIS.*

Nequaquam corpus Christi in pane, aut sanguis in vino realitèr, substantialitèr sumitur ore corporis. River. cont. Grot. p. 73. Calv. l. 4. Inst. Beza coll. Momp. & resp. 1. ad Acta Ursin. Ex. Cat. p. 566. orth. conf. Ad. Neost. Wendel. I I. Th Chr. c. 23. Sadeel. op. Th. p. 216 217. &c p. 264 & seqq.

§. 1. Datur in Cœnâ Eucharistica gemina nostri cum Christo *ἁγιωγία*, una formalis & *universalis*, quoad omnes communicantes, & hæc



hæc est *communio substantiæ physiciæ corporis & sanguinis Christi vivi: non cadaveris* 1. Cor. 10. 16. Matt. 26. 26. altera particularis & spiritualis, per *influxum gratiæ Christi*, ejusq; *receptionem per fidem*, unde fluit *unio communicantium inter se*, in eadem fide & mutuâ *Charitate* 1. Cor. 10. 17. 18. c. 12. 13. prima ad *ipsam Sacramenti substantiam*: altera ad *salutarem effectum & fructum* ejus pertinet. De primâ hic quæritur, ubi nos non *ἀπουσίαν* s. absentiam, non *ἐπουσίαν* s. naturalem corpusculi sub pane delitescentiam, impanationem, invinationem, nec localem crassam physicam, in pane existentiam: uti nobis passim affingunt conf. Tossan. p. 100. nec *συνουσίαν* s. panis cum corpore Christi in unam massam physicam *consubstantiationem* seu *coalescentiam*: nec *μετενοσίαν* seu *transsubstantiationem* papisticam: sed veram ac realem *παρουσίαν* corporis & sanguinis Christi cum pane & vino statuimus, ita ut cum pane substantia corporis Christi realiter adsit: quo evictō, concedit Rivetus, necessarium sequi, *indignos sumere ipsam corporis Christi substantiam*.

§. 2. Absit omnis lusus in terminis. Solent nostrates uti terminis *substantialis, essentialis, in dō & corporalis præsentia*, non in sensu expressivo modi imperscrutabilis: sed *subjecti veritatis*, ut sensus sit: Christum suo corpore & sanguine reverâ & secundum substantiam ac essentiam adesse, quomodo & terminus *realitatis* hic sine ullâ *quantitatum, localitatum, visibilitatis &c.* speculationibus, reale dicit corpus, reale sanguinem, reale horum cum symbolis unionem, ita ut realis opponatur relativo, in esse concepto, *ἄετιμῶ* Neq; negamus, dari sensum, in quo hæc ipsa præsentia realis dici possit spiritualis sc. 1. quatenus spirituale idem est quod mysticum & opponitur crasso, physico 2. resp. efficaciam, quia id quod operatur, est spirituale. 3. ratione corporis glorificati & *πνευματικῶ* eminentiam: non item organicè. Unio enim sacramentalis ut sic, non est inter fidem & corpus Christi. Neq; *oralem* alio sensu dicimus, quàm *quod ore fiat* ad modum cibi, sine concomitantia naturali, capernaiticâ lanienâ, & comestione ac bibitione figuratâ 1. Cor. 11. 20. 22. 28. 29. Joh. 6. 52.

§. 3. Probamus conclusionem superiorem 1. *ex clarissimis verbis institutionis*: Edite, HOC EST CORPUS MEUM: BIBITE, HIC EST SANGVIS MEUS. Circa quod argumentum fundamentale hujus articuli, notetur 1. posito *ἴητῶ* irrefutabilis est nostra de

G

substan-



Substantiali presentia corporis & sanguinis, sententia: 2. nulla hic est  
 à literali sensu discedendi ratio: nec ullius articuli fidei contradictio. 3.  
 ipsi Adversarii qui Tropos introducunt, mutuo se jugulant, & de sede  
 tropi vel certant vel desperant. Carolstadius Sacramentarij belli &  
 Entusiastarum superiori seculo fanaticus & seditiosus Antesignanus, com-  
 mento planè stramineo, & ficulneo explicuit: HO C. *em de x. trias*, ad  
 visibile rum discipulis corpus Christi: at aliter ZWINGLIUS  
 qui in EST tropum posuit: *aliter* Oecolampadius qui COR-  
 PUS de figura corporis interpretatus hic tropum posuit: conf. Osiand.  
 hist. Eccl. cent. 16. l. i. c. 36. p. 98, Sleid. l. 3. p. 67. l. 5. p. 128. 129. 130. l. 6.  
 p. 162. ubi notetur Hyperaspistarum illorum concors concordia: HOC  
 Carolstadii refutat Zwinglius & Oecolampadius. EST ZWINGLIUS  
 refutat CORPUS Oecolampadi. Si enim EST idem quod signifi-  
 cat: jam CORPUS non Figuram corporis significat: & si hoc figuram:  
 non illud EST valet SIGNIFICAT. Sic aliter Calvinus, Beza: at hos  
 omnes refutat Keckermannus in Syst. Theolog: & propriam opinionem  
 ponit. Leidenfes de sede tropi variationem inter se professi, dicunt: Tro-  
 pum non esse in integrâ sententiâ: sed integrâ sententiâ: Synopf doctr. p.  
 686 thes 68. Neq; vero ullum hic esse vocabulum Tropicum ad evi-  
 dentiam sensualem probatum roties est. Undè alii generalius abstinent  
 ab omni Tropo, urgentes verba cœnæ intelligenda *mysticè, memoriali-  
 tèr, Sacramentalitèr, Testamentalitèr*, quod cum omne concedere pos-  
 simus, produunt Calvinismum, dum addunt: *non literalitèr*: adeoq; sensum  
 Testamentalem, & Sacramentalem N. T. opponunt sensui Literali. Ab-  
 surdè & subdolè.

§. 4. Illud enim quàm maximè urgemus: Verba Testamenti, &  
 quidem Testatoris omniscii ac omnipotentis, præprimis, quæ ipsam ef-  
 fectum & nervum exprimunt, plana & perspicua esse, & secundum  
 communem significandi modum intelligi debent, ne ipsa obscuritas,  
 hæredes de legato litigare faciat: uti supposita illa recessione à literali  
 sensu litigare videmus Calvinianos, usq; adeo ut Christoph. Pelargus:  
*Francos. ad Oleram. Profess. & D. Theologus. Disp. de Fract. panis. anno 1606.*  
 habita 28. interpretationes à Calvinianis usurpatas circa verba: Hoc  
 est CORPUS MEUM enumeraverit, & gravissimus Theologus  
*Erh. Snepsius in conf. de Eucharist.* ante seculum Jenæ edita, non tantam  
 esse *dissonantiam Horologiorum*, quam Zwinglianorum, circa illa verba,  
 verisimiliter.



verissime scripserit, item: quosdam svasisse, ut verba illa: HOC EST  
CORPUS MEUM, hic est sanguis meus, tanquam rixarum omnium pre-  
cipue cause proorsus expungantur.

S. 5. Argumentum nostrum. 2. Illud corpus datur cum pane, quod  
pro nobis pendit in cruce. E. ipsum corpus substantiale Jesu Christi: pro-  
batur ex verbis: QVOD PRO VOBIS TRADITUR. Argum. 3. Panis  
benedictus est communicatio corporis Jesu Christi. E. corpus Christi re-  
vera unitum cum pane, editur ore corporis in S. coena. 1. Cor. 10. 16.  
Eadem ratio benedicti calicis. Excip. Urf. Illa intelligitur *κοινωνία*,  
1. per quam unimur Christo capiti. 2. quæ est inconsistibilis cum communica-  
tione Demoniorum. Resp. 1. non dicitur, Spiritus & fides: sed panis ille &  
calix ille est *κοινωνία* &c. 2. Thema Apostoli est: Fugite Ethnica sacri-  
ficia, & Idololatriam: principium probationis est: participatio Eucharistica  
Sacramentalis corporis & sanguinis Jesu Christi, ut supposita. Vos  
*κοινωνεῖτε* per panem benedictum cum Corpore, per calicem cum san-  
guine Jesu Christi. E. non debetis *κοινωνεῖν* cum Idololatricis Ethni-  
corum sacrificiis. Talis ergo notatur *κοινωνία*, quæ est cum *κοινωνία*  
*Δαιμονίων* compossibilis, & impænitentibus ac securis quoque commu-  
nis. 3. Ex participatione omnium de uno pane, non probatur Spiritualis:  
sed Sacramentalis participatio corporis & sanguinis Jesu Christi v. 17. 4.  
Illud: Non potestis v. 21. non ponit impossibilitatem actus: sed talis actus:  
non facti: sed juris: non potestis, non *ἀδυνατε*: sed *ὄχι ἔστιν ἡμῶν*, ita uti fas  
est, cum salute animæ &c.

S. 6. Urgemus 4. Evangelistarum concordiam: Accipite, edite,  
HOC EST CORPUS MEUM habent 3. Evangelistæ Matt. 26. 26.  
Marc. 14. 22. Luc. 22. 13. 1. Cor. 11. 23. BIBITE ex hoc poculo omnes:  
Hoc est sanguis meus, qui est novi Testamenti, Mattæus & Marcus: Excipi-  
unt: verba apud Lucam & Paulum: HOC POCULUM EST NO-  
VUM TESTAMENTUM IN MEO SANGVINE &c. sunt  
accipienda non literaliter. E. nec æquipollentia illis apud Mattæum  
& Marcum. Resp. 1. à modo prædicationis singulariori, ad impro-  
prietatem verborum non valet conseq. 2. Poculum in usu Sacramen-  
tali, in cum, propter sanguinem Christi ei sacramentaliter unitum, quando  
distribuitur, bibitur, vere est novum Testamentum: quippe quod efficitur  
à præsentia & efficacia sanguinis Christi. 3. Sanguinis *ἰδίων* tribui-



tur poculo τὸ ὑπερ ὑμῶν ἐκχυνόμενον. E. illi præfens adest ipse  
sanguis Christi.

§. 7. Urgemus 5. manducationem indignorum, & reatum corpo-  
ris ac sanguinis Jesu Christi 1. Cor. II. 27. de qvâ Beza coll. Momp.  
*Modus perceptionis corporis Christi, est proprius fidelium.* Ursin. expl. Car.  
p. 591. *Impii & hypocritæ accedentes ad cœnam, non accipiunt res signatas  
corpus & sanguinem Christi: sed nuda symbola.* Urgent. 1. *Paulum in  
antecedente non memorare corpus & sanguinem Christi: sed Panem & vinum.*  
1. Cor. II. 27. 28. 29. Resp. expressè dicitur, reos fieri corporis & sangui-  
nis Jesu Christi v. 27. & licet constructio vocis ἐϋεχθ cum Genitivo,  
ita ut dicat idem objectum immediatum actionis & reatus, conf. Matt. 26. 66.  
Mar. 3. 29. perpetua non sit, hoc tamen in loco illud obtinere, probatur ex  
addito v. 29. reatû sc. contrahi per non *dijudicationem corporis Domini*, qvæ  
discretio corporis supponit manducationem corporis. Inst. *Discretio est  
mentis non dentis.* Resp. nec nos discretionem: sed manducationem  
oralem asserimus: Inst. *Edunt iudicium. E. non corpus Christi.* Resp. Spi-  
ritualiter. Inst. *Læsi sigilli principis est læsi ipsius Principis.* Resp. Pa-  
nis benedictus, & calix benedictus non est sigillum sine Principe, vel  
sine corpore & sanguine Christi.

§ 8. Judas sanè particeps est factus corporis & sanguinis Jesu  
Christi in primâ Eucharistiâ; neq; enim aliam Eucharistiam administra-  
vit Christus Judæ: aliam Petro: At Judas fuit indignus. E. quidam in-  
dignus &c. conf. Marc. 14. Inst. *Piscat. vol. 2. p. 283. Judas primæ cœ-  
næ non interfuit.* Resp. opponimus Piscatori Calvinum l. 4. Inst. c. 17.  
§. 34. ubi ex Augustino hom. in Joh. 59. 61. l. 5. de Baptif. cont. Dona-  
tist. docet Judam non minùs, qvàm cœteros discipulos interfuisse pri-  
mæ cœnæ: & Witakerum de Sacr. conf. August. ep. 161. Serm. 2. de Verb.  
Dom. Inst. *Cum Juda Christus non iterum est bibiturus in regno suo. E.  
nec cum illo bibit de fructu vitis in 1. Cœnâ.* Matt. 26. 29. Resp. vitium  
formale: minor negans: qvòd si convertatur vel pro convertibili, &  
conformata ad dictum de omni habeatur, falsâ major. Inst. *Christus  
ipse prohibuit sanctum dare canibus.* Matt. 7. 6. E. *non dedit.* Resp. ad  
anteced. *non absolute:* Sic enim nec prædicasset Evangelium Matt. 26.  
21. 23. Joh. 13. 21. 25. habuit autem Christus causas admittendi Judam,  
hactenus hypocritam. Excipit Calvinus, Judam saltem *Sacramento-*  
1 enus



*tenus, non revera, Sacramentum, non rem Sacramenti: panem Domini,*  
non panem Dominum accepisse l. 4 c. 17 §. 34. Resp. i. res male oppo-  
nitur Sacramento, in N. T. conf. §. 9. 2. Judas & accepit panem Domini,  
& panem Dominum, licet non manducaverit spiritualiter Carnem ejus, &  
biberit sanguinem ejus. 3. supponit Calvinus, rem Sacramenti, non esse  
corpus Christi, nisi Spiritualiter.

§. 9. Urgemus 6. *discrimen Sacramentorum.* Sacramentum cœnæ  
est N. T. E. differt *substantiâ* à Sacramentis V. T. Sacramentum enim  
sequitur naturam sui Testamenti. Urgemus 7. Testis verè, & realiter  
ibi existit, ubi testatur. *Sanguis Christi est testis.* E. i. Joh. 5. 8. pro mino-  
re conf. v. 6. Heb. 9. 12. Pone non intelligi *sanguinem in cœnâ*: tum vel  
hic non erit testis gratiæ: vel, si erit, omisus erit: & adeo testis, non testa-  
bitur: & tertius ille qui testatur, non erit testis conf. Calv. l. 4. c. 14. §. 22.

§. 10. Obj. 1. Id quod antecedit tantum est Panis. Resp. Joh. 20.  
22. primò memoratur *status*: deinde *Spiritus s.* neq; tamen *solus status*:  
ita hic primò memoratur *Panis*: deinde *corpus Christi*, quia sc. hoc non  
erat dandum immediate: sed mediante pane Obj. De solo pane dici-  
tur accepit, fregit &c. E. de solo pane dixit: Accipite, edite. Resp. tol-  
latur SOLO. Obj. EDITE BIBITE & *ἕν τε* non conveniunt obje-  
ctivè corpori ac sanguini Jesu Christi, R. sufficit ad naturalem signifi-  
catum; panem & corpus Christi sumi in os ad modum cibi: Vinum  
& sanguinem Christi ad modum potus ut nec in verbis metaphora: nec  
in comestione, laniena capernaïtica, nec post comestionem & bibitio-  
nem metuenda sit naturalis concomitantia. Obj. HOC synecdochich-  
cum. Resp. *Grammaticè*, ubi unum ponitur cum altero complexivè:  
non *Rhetoricum*, ubi unum ponitur pro altero, surrogativè: notatur ergo  
immediate, per se, & primo panis: mediâtè & principaliter Corpus  
Christi: unde Paulus *Panem* ponens in *subjecto*: non dicit: *panis est corpus  
Christi*: sed: *panis est ἡ ζωὴ τοῦ σώματος τοῦ Ἰησοῦ Χριστοῦ.* Inst. E. *idem quod præ-  
dicatur, subjicitur.* Resp. non prædicatur idem de eodem purè & sim-  
pliciter: nec recta est resolutio; *Hic panis, & corpus, est corpus meum*: conf.  
exempla Gen. 32. i. Joh. 2. 7. Luc. 3. 22. uti porrecto poculo, in quo est  
vinum, dico: *Hoc est vinum.* Inst. *at in poculo esse vinum jam constat.* Resp.  
exinde constat, quia ostendo & dico: *Hoc est vinum.* E. & exinde quia di-  
cit Christus: *Hoc est corpus meum*, constat, quod cum pane unitum detar  
corpus Christi. Inst. Lutherus *Hoc* explicuit de pane. Resp. contra Ca-  
rollstadii actum reflexum conf. §. 3.



§. 11. **Obijcitur EST.** Resp. 1. *copula vox argumenti non est.* E. tropus sustinere non potest. 2. Copula nec est pars *predicati*: nec *subjecti*. 3. tropus ille redundaret in *predicatum*. Inst. *Corpus adsidebat mensæ: sanguis adhuc in venis* Resp. naturaliter: non Sacramentaliter. Crediderunt Apostoli, idem corpus quod videbant, palpabant, dari invisibiliter, inpalpabiliter, non ex corporis proprietate: sed ex supernaturali virtute & ex promissionis liberalitate. Obij. **QVOD PRO VOBIS DATUR.** Resp. his verbis non describitur modus dationis: sed identitas dati: idem sc. corpus, quod oblatum in cruce, datur in Sacramento Cœnæ. Obij. **HOC FACITE.** Resp. refertur ad antecedentia: non nisi respectu subordinati finis, qui est infinitum memoriale passionis & mortis, ad consequentia. Obij. *in mei commemorationem:* memoria est absentium. S. Sensualium: non item intelligibilem s. credibilem: neq; tam S. cœna est memoriale Christi in præd. substantiæ: quam actionis & passionis.

§. 12. Obij. *E. Christus manducavit & bibit seipsum,* quia bibit ex eodem calice: item: Maria manducavit & bibit corpus & sanguinem filii. Matt. 27. 29. Resp. bibit ex calice Paschali V. T. cujus Sacramentum clausit, institutione calicis N. T. Sacramentalis, de quo non bibit sub notione Sacramentali N. T. Ad 2. Resp. manducavit & bibit Sacramentaliter. Obij. *Ubi est corpus Christi, ibi sanguis.* Resp. transigant cum verbis institutionis, quæ expresse ponunt, *unionem corporis cum pane, & sanguinis cum vino,* ita, ut *utrumq; aggregatum sistatur præsens in terris,* non nisi, ubi S. cœna sumitur ad comedendum & bibendum ore corporis. Concedimus e. objectionem de præsentia naturali: non de Sacramentali: Ita sc. ordinavit Testator opt. max. ut in unâ actione compositâ, quæ dicitur Eucharistia, seorsim & per intervallum exhiberetur & sumeretur *ὁ ἄρτος, κενωρία σώματός, & τὸ ποτήριον κενωρία αἵματος.* Quicquid vel pro figurâ Calvinisticâ, vel Transsubstantiatione papisticâ, obijcitur de naturali concomitantia, cedat sapientiæ nostræ salvatoris.

§. 13. Obij. *Interdictum sanguinis in V. T.* Resp. à Sanguine bruti ad sanguinem Christi resp. interdicti argumentari, impium. Obij. *Fusto sanguinis Christi, in cruce, non cœnâ fieri debuit.* Resp. in cœnâ dum bibitur, omnino quoq; in ora communicantium effunditur Luc. 22. 19. 20. n. Cor. II. 24. Obij. Panis & corpus Christi sunt distincta. Resp. 1. *sed*

non



non separata. 2. quia sunt unum Sacramentum. Obij. *Præsentia illa  
 repugnat naturæ.* Resp. 1. non repugnat naturæ humanæ, ut illa est in  
 hypostaticâ cum  $\alpha\theta\gamma\omega$  unione. 2. & quæ est exaltata in thronum maje-  
 statis divinæ, quæ exaltatio, & sessio ad dextram patris præsentiam sa-  
 cramentalem non quidem facit: sed suppositis Testamenti Christi ver-  
 bis, vehementer ab antithesibus adversariorum defendit. 3. **QVI DI-  
 XIT, POTENS EST PRÆSTARE: QVIA APUD DEUM  
 NIHIL IMPOSSIBILE:** proprietas corporis naturalis non est men-  
 sura præsentiae Sacramentalis. Obij. *Reliquit mundum.* Resp. 1. E præ-  
 sēns fuit in sacramento, antequam reliquit mundum. 2. Si antequam  
 ascendit. E. multo magis postquam ascendit, & **SEDET AD DE-  
 XTRAM DEI:** maxime, quia per Paulum idem Sacramentum post  
 ascensionem repetiit. 3. Invertatur ergo argumentum. Obij. E. ad-  
 randi sunt communicantes, in quorum ore est corpus Christi. Resp.  
 1. N. Conseq. Deus implet cælum & terram: neq; tamen adorandum  
 est cælum vel terra. 2. Et dāns & accipiens Sacramentum, *adoratio-  
 nem corporis & sanguinis Jesu Christi,* sine Idololatriæ suspitione præstat  
 quia in cœnâ *peculiaris beneficii collatione præsentem se nobis siffir:* interim  
 nec 1. adoranda symbola, panis & vinum; nec 2. Homo, in cujus ore  
 terminatur unio Sacramentalis; nec 3. ipsum corpus & sanguis Christi  
 in homine communicante adoranda sunt: sed in complexâ illâ actione  
 sc. *Consecratione; Distributione; sumptione.* Obij. *Autoritas Patrum &  
 maxime Augustini.* Resp. 1. non patres sunt norma fidei Sacramenti: sed  
 verba Testamenti. 2. Negamus autem bonâ fide à Calvinianis Patres  
 in sui dogmatis firmamentum hîc allegari, quâ in redm̄ *dogma nostrum  
 de sacramentali, mysticâ & substantiali unione, & præsentia reali, veri Chri-  
 sti corporis & sanguinis in cœnâ,* errorem valde communissimum & uni-  
 versalissimum: sed qui non nisi proximorum 700. annorum præscriptio-  
 nem in Ecclesiâ habeat, *Marcus Anton. de Dominis l. 5. de rep. Eccl. p. 50.*  
 vocat, sive malignitatem; sive inscitiam insignem prodidit conciliator  
 Apostata. 3. Autoritas Augustini à Calvino & sociis passim objicitur:  
 sed ita ut sensus Calvinianus in Augustinum infèratur; non efferatur:  
 detortis locutionibus quibusdā e. c. *Indignos non accipere rem Sacra-  
 menti &c.* eo, quod nunquam in mentem venit Augustino, qui, si  
 viveret, Calvinianis quâ hoc punctum adversarium se ostenderet.  
 conferatur doctissimum scriptum M. Westphali Ratisponæ anno 1555  
 editum.



editum sub titulo: *Collectanea sententiarum Divi Aurelii Augustini de Coe-  
nâ Domini, & confutatio vindicans plerosq; locos, quos ex Augustino falsè ci-  
tant adversarii.* 4. Ex abundanti addimus: Augustinus ex c. 6. Johan-  
nis tale dogma extruxit: Uti infantes qui sine baptismo discedunt in  
æternas flammâs abjiciuntur propter dictum Joh. 3. ita infantes qui à  
baptismate accepto non accipiunt Eucharistiam, æternæ damnationi  
obnoxii existunt, propter dictum Christi Joh. 6. Nisi ederitis carnem fi-  
lii hominis &c. Annon erraverit Augustinus? Ita sanè est: neq; tamen  
solum Augustinus.

SECTIO III.

ARTICULORUM, quos vel indi-  
rectè, vel particularitèr oppugnant  
quidam Calviniani.

*Conclus. 1.*

Regeneratio & conversio hominis fit per externa media:  
ut enim (verba sunt Augustinæ confess. art. 5.) fidem  
consequamur, institutum est ministerium docendi  
Evangelii & porrigendi sacramenta: nam per verbum  
& sacramenta, tanquam per instrumenta, donatur Spi-  
ritus S. ubi & quando visum est Deo in iis, qui audi-  
unt Evangelium.

§. 1. Præbatur ex Heb. 4. 12. Rom. 1. 16. 2. Cor. 3. 6. Act. 5. 20. 1.  
Pet. 1. 23. Act. 8. 35. 33. Act. 10. 44.

§. 2. Errat ergo Beza: *Valde fallitur*, ait part. 2. ad acta p. 116. &  
in Deum ipsum injurius est, *quisquis in regeneratione, propter quam dicit  
Apostolus nos esse Dei opus, vel ipsi externo Dei verbo, vel sacramentalibus si-  
gnis tantillum divinæ virtutis, hominibus renovandis, & æternâ vitâ in  
Christo servandis attribuere, æstimat.* An vero solus Beza? Næ hic error  
rotius est Calvinismi, fluens ex absolutæ prædestinationis hypothesi.  
Conf. Disp. sup. art. 1. Conclus. 5.

*Conclus. II.*

Deus licet sit Exlex, resp. legis superioris: non tamen  
est.



est exlex, quatenus sibi ipsi est lex: nec tenebræ (peccatorum) habent rationem lucis (justitiæ) coram Deo.

§. 1. Quando probatum à nostris, ex hypothesi Calvinianorum & providentiâ, sequi Deum CALVINISTARUM esse supremum Autorem peccati, & adeo Diabolum conf. Act. Swalbac. p. 1. coll. 2. p. 19. Calv. l. 1. Inst. c. 18. §. 3. Becan. opusc. Th. tom. 1. p. 171. excipit Piscator: Deum esse exlegem: Beza, tenebras habere rationem lucis apud Deum: a; q; adeo nec Deum, quando id operatur, quod impii malum fuit, ex i; re ἀνευθύνα ὑπεροχῆς peccati Autorem argvi. Contra 1. quæ per se & suâ natura sunt peccata, ut adulteria, periuria & blasphemix, no cadunt in dispensationem Divinam, nec unquam sunt justum Dei opus, obstante lege, quæ est Deus ipse f. sapientia & naturalis Dei justitia. 2. Implicat in legis sententiam & ἐντέλειαν, dicere, actiones respectu legis & hominum injustas, respectu Dei esse justas. 3. Eadem est norma justitiæ in Dei mente, & Lege nisi quod in nobis fit accidentaliter: in Deo, essentialiter Non minor est blasphemia Beza & Calvini, qui in boni finis intentione, Apologiam ἰθὺς ponit c. 14. cont. Libert. Contra, Lex est: Non sunt facienda mala, ut eveniant bona Rom. 3. 8.

### Conclus. III.

Fides revera est pœnitentiæ (ὀλιγωρ sumptæ) pars

§. 1. Probatur 1. ex collatione Act. 2. 38. & c. 16. 31. Matt. 3. 2. Marc. 1. 15. 2. Pœnitentiâ obtinetur remissio peccatorum. E. constat fide.

§. 2. Errant ergo Calvinus l. 3. Inst. c. 3. §. 5. Fidem sub pœnitentiâ complecti, pugnat cum Apostolo. Bucan. p. 289. Fides est origo & mater pœnitentiæ, non pars.

### Conclus. IV.

In vitâ æterna dabuntur distincti gradus, qui non propter: sed secundum opera dabuntur ex solâ Dei misericordiâ:

§. 1. Pro affirmativâ hâc conf. 1. ex Dan 12. 3. 1. Cor. 15. 41. 42. argumentum à discretâ claritate stellarum, ad discretam Claritatem resurgentium. 2. à gradibus contrariis pœnalibus Matt. 11. 22. 3. à parco seminante & parco messore 2. Cor. 9. 6.

§. 2. Errant ergo qui ex Calvinianis distinctos præmiorum gradus negant P. Mart. Cl. 3. l. 17. p. 829. &c. Obij. 1. Æqualitas denarii paraboli

H

bolici



bolici Matt. 20. 9. 10. Resp. ex hypothesi: æqualis vita æterna iustificatis: quamvis vita æterna non competat murmurantibus. Obj. 2. In patriâ omnes erimus perfecti. Resp. E. non dabitur antecellentia ex prærogativâ carnali, qvales est hujus seculi: at bene tamen ex voluntate misericordis Dei. Obj. 4. Sancti erunt Judices mundi & Diabolorum 1. Cor. 6. Resp. non omnes judices sunt æqvales.

#### SECTIO IV.

DE

## A DI A P H O R I S.

Conclus. 1.

Hostibus Evangelii tempore persecutionis non est cedendum in rebus Adiaphoris

§. 1. Ecclesiam nostram veram filii Dei Ecclesiam esse יְהוָה אֱלֹהֵינוּ i. e. ipsi adversarii nostri testantur, qvomodo expressè in Catechismo Germ. Perkinsi Angli: *Belangend die Deutschen Kirchen/ so Lutherisch genennet werden/ erkennen wir dieselbe für die ware kirchen Gottes/ confer D. Lucæ Bacmeisteri p. m. Christliche Anleitung/ in examine concionis J. Ruhelii Gultrovienf. Calviniani p. 4. 5. &c.* ubi plurcula in hunc sensum notat. Qveruntur de *opinionibus*, qvæ à nostris ut articuli fidei æstimentur, de *Ceremoniis*, & *Adiaphoris* nostris. Iniqvè omnino hoc: qvod si enim hæc tam exigva sunt, qvare controversias de *Decalogi distributione*, de *fractione*, de *imaginibus*, in acie aliquando reformationis e. c. Marpurgensis anno 1605. ponunt. Sophisma sc. Calvinisticum est per cuniculos agere, adiaphorum impugnare, ipsam substantiam sacramenti, intendere. Nunc saltent pro teli roborandâ urgeamus Ep. ad Gal. c. 5. 1. 2. Cor. 6. 14. Gal. 2. 3.

§. 2. Conf. Form. Concord. Epitom. Artic. 10. p. 614. 615. unde Conclusionem superiorem ex promissimus: addit illa: *in tali rerum statu non jam amplius agitur de Adiaphoris: sed de veritate Evangelii, & libertate Christianâ factâ tectâq. conservandâ. In hujusmodi ergo rebus nostrum non est, aliquid adversarius largiri &c.* Interim pro re natâ adiaphora mutare, libertati Ecclesiasticæ relinquit Form. Concord. sed ita ut respiciatur 1. ad statum Ecclesiæ. 2. ad modum abrogationis. 3. ad finem, ut illâ fiat ratione, qvæ Ecclesiæ Dei est utilissima, & ad adificationem ejusdem maxime accommodata.

Con-



Conclus. II.

Præcepta de Diis alienis & imaginibus non sunt duo: sed unum. De concupiscendo non sunt unum: sed duo.

§. 1. Probatur illud partim *Theologicè*: sculprilia ad cultum facta sunt species comprehensa sub Diis alienis: ubi ergo prohibentur Dii alieni, ibi etiam prohibentur Idola Gen. 35. 2. 1. Sam. 7. 3. quia imagines idololatricæ æquæ ac Dii alieni opponuntur cultui vero præstando: partim *Philologicè* per characterem discretivum præcepti à præcepto, minusculum  $\text{D}$  & signum membri primi, versus præcepti Atnach cum sylluk positi in v. 5. deniq; per sylluk absolutum in v. 6. ubi proinde novus character  $\text{D}$  novi præcepti signum est.

§. 2. Errant ergo Calviniani 4 præcepta primæ: sex secundæ assignantes tabulæ. cat. Heidelb. p. 57. c. 34. Urf. in explicat. p. 683. Obij. 1. *Differunt sensu s. ut res & modus cultus.* Resp. E. & præceptum tertium erit in duo secundum, quippe quod & cultum Sabbaticum, & cultus illius describit modum. Modus cultus constituit cultum in esse formali. Obij. 2. Distingvuntur versiculis. Resp. E. ad usq; præceptum Sabbaticum, dabuntur sex præcepta: & 5. 6. 7. 8. erunt unum præceptum. Contra à verbis JHOVAH adusq; Non levabis nomen JHOVAH in vanum, datur unus versus argumenti, & adeo unum continuum argumentum, s. præceptum.

§. 3. Probatur secundum iterum *Theologicè* 1. à *duplicitate concupiscentiæ, originalis*, quæ in 10. *actualis*, quæ 9. prohibetur præcepto Obij. Matt. 5. 28. Resp. concupiscentia in actu exercito *Objectivè modificato*, prohibetur etiam in 5. 6. 7. 8. in actu secundo sine certo aliquo objecto, in 9. Obij. Aequè est objectum certum in 9. ac 10. Resp. 1. conf. Legem in Deuter. c. 5. Rom. 7. 7. c. 13. 9. respectus primarius concupiscentiæ est ad modum, secundarius ad objecta. Ex fundamentis *Lingvæ in Deuteronomio*, non malè à nostris argumentum adducitur, cui quantum tribuendum sit, in ipso actu docebimus: nunc assertum *Theologicum* ponimus: IN NONO PARIENS: IN DECIMO prohibetur CONCUPISCENTIA CONCIPIENS. *Philologicè* 1. notetur  $\text{D}$  inter non concupisces primum & secundum. 2. Infallibile suppositum, ante præcepta de non concupiscendo, non esse nisi 8. & proinde ex hypothesis infallibili הרברים  $\text{H}$  2. Singulare 9. & 10. præcepti quod



quod nec in primâ, nec in 4. 5. 6. 7. 8. Præceptis secundæ observatur  
 tabulæ, sc. terminus præcepti unius ad membrum versus. Præter fun-  
 damenta, quæ diximus, non desunt autoritates patrum pro hac divisio-  
 ne Decalogi: illam enim probant *Cl. Alex. l. 6. Strom. Aug. thom. 8. sup.*  
*Pf. Isidor. Beda &c. & ex Calvinianis Steph. Szegedinus in Loc. com. sit. de*  
*legib. moral. seu Decalogo p. 50. conf. ex nostris D. Pappus in Christ. & ne-*  
*cessar. admonit. de Catech. Bipont. ubi memorat Ecclesiam Argentora-*  
*ensem ex vi libertatis Christianæ alteram distributionem apud Calvi-*  
*nianos receptam tueri.*

*Conclus. III.*

**Imagines, & sculpturæ historicæ, Christianæ, Biblicæ nulle-  
 lam per se præbentes occasionem idololatriæ, &  
 extra & in templis sunt ferendæ.**

§. 1. Probatur 1. ab ipsâ substantiâ facti licitâ, & tali, ut Deus ipse  
 nominarim Magistros artium sculpendi dicatur replevisse spiritu Dei, sa-  
 pientiâ & intelligentiâ & omni arte conf. Exod. 31. & c. 35. 2. à Chr-  
 binis templi, tum super arcam, tum super *καταπέτασμα* Exod. 25. 18.  
 &c. 3. Statuæ, lapides, altaria resp. Cultus prohibita conf. Lev. 26. 1.  
 extra illum cultus respectum tolerabantur Gen. 28. 18. 1. Sam. 7. 12. 4.  
 Eadem ratio imaginum Lev. 21. 1. 5. sunt Biblia Laicorum. Uti ergo  
 omnem cultus rationem tollimus, quin & imagines vanitati, ac profa-  
 nis cogitationibus occasionem dantes, non admittimus: ita historicas  
 c. c. *Passionis, mortis sepulturae, resurrectionis Jesu Christi*, ex templis non  
 rejicimus.

§. 2. Errant ergo Calviniani conf. Beza coll. Mompelg. p. 381. 390.  
 400. 402. Ursin. in expl. Cat. p. 728. Musc. L. C. p. 45. id. Beza Coll.  
 Mom. p. 325. Cat. Heidelb. p. 59. q. 98. Ursinus Vol. Theolog. qvitar-  
 dem: *non simpliciter, inquit, lex vetat imagines facere, sed ad Deum per eas*  
*representandum: cui consonans Calvinus l. 1. Instit. c. 11. §. 12. Deum,*  
*inquit, effingi visibili specie nefas esse putamus, quia id vetuit ipse & fieri sine*  
*aliquâ gloriæ ejus diminutione non potest & l. 2. Inst. c. 8. §. 17. Deum qui in-*  
*comprehensibilis est, sub nostros sensus subjicere, aut ullâ specie representare*  
*non audemus. Cæterum non quæritur de imagine Dei ut essentiâ infiniti,*  
*& incomprehensibilis: sed ut revelati in formâ visibili e. c. Dan. 7. in*  
*formâ Sensus & Antiqui dierum: Matt. 3. in specie columbæ in specie ignearum*

1677



*lingvarum* Act. 2. quo respectu representationem in imagine admittimus. conf. Luth. tom. 3. Jenens. in tr. *Wieder die Himmlischen Spheren* / fol. 38.

*Conclus. IV.*

**EXORCISMUS** est spiritus saltem est Ecclesiasticus antiquissimus, non effectivus: sed doctrinalis & significativus, **ADIAPHORUS**, non substantialis, & ad Baptismi integritatem necessarius, nō temerè tamen est omittend<sup>o</sup>, multo minùs, tanquā res per se & toto genere mala abrogandus: nec debet facile baptisari sine Exorcismo, qui fidem profiteri debet, quæ est in Aug. conf. Symbolo.

**§ 1.** Consensu unanimi Ecclesiæ, si notorius esset abusus, vel scandalum, abrogari posse, & ubi exolevit cum hypothésibus Papisticis, non facile introducendum esse, non dubium est: in quibus tamen Ecclesiis receptus est, pie, & libere retinendus est. Labet hūc apponere, quæ de Exorcismo alibi potuimus: 1. Exorcismus, nec pro ritu Apostolico, qui habeat scripturæ vel mandatum, vel exemplum, vel testimonium: nec pro substantiali & necessario ad integritatem baptismi habendus. 2. Exorcismo, ejusque ceremoniis non tribuenda est magica vis corporaliter expellendi Diabolum, vel spiritualis efficacia, licet sit ritus significativus ejus quod est articulus fidei. 3. Non damnamus Ecclesiæ propter vel totalem Exorcismi omissionem, vel aliorum verborum, doctrinam de *potestate regni satanae, de peccato originis, de efficacia baptismi*, clarius explicantium, usurpationem: exorcismi enim ritus externus nihil substantiæ Sacramenti derogare, vel addere potest. 4. Baptizatus sine exorcismo, non est rebaptizandus cum exorcismo: 5. potest totus ritus abrogari, si totius Ecclesiæ consensu ordine & decenter id fiat. 6. Et tamen exorcismus, quia 1. est summæ Tyrannidis Diaboli & efficacis baptismi pictura & adeo non *ceremonia, vana, ludicra, mendax*, uti mentitur Wendelinus l. 1. Th. Chr. c. 22. p. 371. 2. quia adversarii non alio nomine tam infensi sunt *exorcismo*, quam quod horridas illorum hypothéses nobis *in nostro Baptismo* displicere, signet: & abrogatus Exorcismus, triumphum faceret adversariis, quasi una cum signo ipsas.



res signatas, quas Articulos fidei æstimamus, rtractaremus, non facile est abrogandus, vel omittendus.

§. 2. Errant ergo Calviniani, qui Exorcismum nostrum (nam nunquam probavimus Papisticum) vocant eine abschewliche Ceremoni, ein Grewel / vnd schrecklichen Ueberheidnischen Mißbrauch des heiligen Christlichen Nahmens / Anhaltini im Bericht / was von Ceremonien gehalten. conf. Wolf. Musc. p. 312. Obij. 1. Est incantatio diabolica. Resp. E. Paulus fuerit incantator 1. Theff. 5. 27. conf. Matt. 26. 63. Absit. Notatur sc. autoritate divinâ, graviter & serio imperare. Obij. 2. Est sine mandato & exemplo. Resp. ad 1. est sine speciali, quia est & RITUS & ADIAPHORUM: at non item sine omni generali: si enim adversus insultus Diaboli semper est STANDUM, & Diabolo resistendum, maxime id faciendum in BAPTISMO, ubi Minister Ecclesiæ autoritate divinâ efficaci agit. Jac. 4. 7. Eph. 6. 11. & infans sub potestate Diaboli positus, Christo est inferendus: nec additio Exorcismi est mutativa: sed ritualis, explicativa doctrinæ tum Baptismi, tum suppositæ in baptismo. Obij. Non constat Exorcismus de præsentia Satana. Resp. Infans ante translationem in regnum Christi, est sub ἐξουσία σατανῶν Col. 1. 13. Obij. Adjurans non habet donum faciendi miracula. Resp. nec obsessio nec ejectio corporalis à nobis est supposita. Inst. Infans in ipsâ exorcifatione dicitur servus Dei. Resp. respectu creationis: non, sanctificationis. Inst. est Durus Sermo. Resp. 1. non omnis σαλῆς λόγος statim est rejiciendus conf. Joh. 6. 60. 2. etiam durus est status infantis sub Diabolo. Licet enim obsessionem corporalem, ante baptismum infantibus non tribuamus, esse tamen non baptizatos infantes sub spirituali potestate tenebrarum, affirmamus. conf. Gregor. super Evang. hom. 29. p. 2. p. 314. Cyrillum Hieros. in procathepsi Aliud est sub esse: aliud obsideri. Nec ejectio est corporalis: sed spiritualis conf. Luc. 11. 26. Col. 1. 13. Inst. Quod tribuitur Baptismo, id non competit Exorcismo. Resp. Quod competit Baptismo exhibitivè, omnino exorcismo tribuitur significativè. conf. Chemn. p. 3. L. c. p. 391. Claudimus: Et propter corruptelas Adversariorum, & propter reverentiam adstantium, utilis & necessaria est Commonefactio de Articulis fidei circa Baptismum, etsi non præcisè talis commonefactio per Exorcismum, quem tamen vetustissimum plane ritum fuisse testatur Tertull. 1. de cor. milit. p. 336. Nazianz. in orat. de Bapt. p. 245.

Con-



*Conclus. V.*

**Signatio Crucis, & interrogatio rectè in Baptismo apud nostras Ecclesias retinetur.**

§. 1. Non concoquere potuit Beza rituale illud, quo Baptizando *Cruz signatur in fronte & pectore*, cum verbis: *Nun das Zeichen / des heiligen Creuzes beyde an der Stirn / vnd an der Brust*: item, quo interrogatur baptizandus respondentibus Patrinis e. c. *Einsigest du dem Teuffel: Vnd allen seinen Wercken / ic.* Neq; minus id nostræ ætatis displicet, Calvinianis. Sed scire debebant, nobis ritum illum esse non *operativum*: sed *effectus crucis Christi significativum*, & *memorativum*.

§. 2. Neq; frustra est illa interrogatio: sed respondent susceptores partim suâ: partim infantis vice, estq; illa responsio 1. professoria fidei suæ coram totâ Ecclesiâ. 2. baptismi in infantem collati, testativa. 3. religionis, in quâ educandus sit Infans, declarativa. Unde constat, Patrinos esse debere religionis illius, in quâ Baptizandus est educandus, socios.

*Conclus. VI.*

**In Eucharistiâ fractio præparativa, siue fiat in, siue ante usum cœnæ est necessaria: fractio, repræsentativa fracti in cruce Christi corporis, nequaquam admittenda.**

§. 1. Probatur 1. à negatione præscriptionis modalis. 2. fractio facta à Christo fuit pro consuetudine: non, pro necessitate 3. corpus Christi non est fractum. E. nec per fractionem est repræsentandum. Joh. 19. 36. Exod. 12. 46. Inst. Musculus: Corpus Domini est fractum, in morte. Resp. Fractio, in scripturis, nunquam dicit mortem, ut sic. 2. In morte Christi, anima æquè separata fuit à sanguine, quam à corpore. E. si fractio panis repræsentat discessum animæ à corpore, danda quoq; esset effusio vini, repræsentans discessum animæ à sanguine. Instat Ursin. *Fractio notat passionem dolorificam*. Resp. Corpus Christi propriè non est fractum ait Wendel. p. 1404. E. nec talis fractio est repræsentanda: & figura talis non tam Novo, quam V. T. convenit. Inst. Wendelinus *Christus fregit*. Resp. 1. *ut daret seu distribueret* Marc. 14. 22. Luc.



Luc. 22. 19. non ut repræsentaret. 2. Christus baptizatus est per immersionem. E. & sic nos hodie. Christus jejunavit 40. dies, iejunent & Calviniani 40. dies.

§. 2. Obj. HOC FACITE. Resp. E. omnes communicantes debent FRANGERE. conf. 1. Cor. II. 26. Quotiescunq; panem hunc EDERITIS, (non FREGERITIS) mortem Domini annuntiabitis. Obj. Propter HOC FACITE necessaria est consecratio. Resp. negatur: fit illa, ut terrestris materia, à reliquo pane & vino separata, fiat adæqvata sacramenti materia. Obj. Corpus Christi dicitur fractum. Resp. uti Sangvis effusus, in arâ sc. crucis, fractio illa dicit acerbitatem dolorum, quales sunt in illis, quibus ossa franguntur. Cur tam anxie fractionem, ut ceremoniam sacramentalem passionis & Crucifixionis Christi repræsentativam (nequidem fractionem omnem panis necessariam nos negamus) propugnent, rationem dat Ursinus, ut sc. *Corporis Christi præsentiam in Eucharistiâ negare possint*. Astute satis. Ritus præfenditur, Sacramentum oppugnatur.

*Conclus. VII.*

CONFESSIO ut sic & generalitèr DEO facta est necessaria; Confessio & Absolutio privata, qualis in Ecclesiis nostris observatur, ob multas causas, & inprimis ob specialem gratiæ applicationem est retinenda.

*Conclus. VIII.*

Et uni ægrotanti, & in privatis ædibus licet exhibere cœnam.

*Conclus. IX.*

Panis Sacramentalis noster verus, & Sacramento idoneus panis est.

*Conclus. X.*


Nomen altarium nostrorum non est sacrificiale; sed altaria nostra sunt solemnes mensæ,













*linguarum Act. 2. quo respectu representationem  
mus. conf. Luth. tom. 3. Jenens. in tr. Wieder d  
pheren / fol. 38.*

*Conclaf. IV.*

**EXORCISMUS** est spiritus factem  
antiquissimus, non effectivus: sed  
significativus, **ADIAPHORU**  
tialis, & ad Baptismi integritatem ne  
merè tamen est omittend<sup>o</sup>, multo m  
per se & toto genere mala abroga  
facile baptisari sine Exorcismo, qui  
debet, quæ est in Aug. conf. Symbo

§ 1. Consensu unanimi Ecclesiæ, si notius e  
dalum, abrogari posse, & ubi exolevit cum hypoth  
facile introducendum esse, non dubium est: in quib  
receptus est, pie, & libere retinendus est. Labet hûc  
Exorcismo alibi potuimus: 1. Exorcismus, nec p  
qui habeat Scripturæ vel mandatum, vel exemplum  
nec pro substantiali & necessario ad integritatem  
2. Exorcismo, ejusq; ceremoniis non tribuenda es  
raliter expellendi Diabolum, vel Spiritualis efficacia  
ficativus ejus quod est articulus fidei. 3. Non damna  
pter vel totalem Exorcismi omissionem, vel aliorum  
nam de *potestate regni satanae, de peccato originis, de ef*  
rius explicantium, usurpationem: exorcismi enim  
substantiæ Sacramenti derogare, vel addere potest.  
exorcismo, non est rebaptizandus cum exorcismo:  
tus abrogari, si totius Ecclesiæ consensu ordine &  
Et tamen exorcismus, quia i. est summæ Tyrannidis  
siæ baptismi pictura & adeo non *ceremonia, vana, lu*  
mentitur Wendelinus l. 1. Th. Chr. c. 22. p. 371.  
non alio nomine tam infensi sunt *exorcismo*, quam q  
rum hypotheses nobis in *nostro Baptismo* displicere, l  
Exorcismus, triumphum faceret adversariis, quasi ut

H 3

